This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 4RQN L

941.50
M946cp

Digitized by Google

941.50
M946cp



Digitized by Google

Digitized by Google

J. H. Schlegel, de initiis restaurationis in Dania sacrorum
Progr. 1762.

Digitized by Google

DE CAUSIS
PROPAGATÆ CELERITER
IN DANIA
REFORMATIONIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

INTER FESTA PUBLICA

OB INCEPTAM TRIBUS ABHINC SECULIS

LUTHERI OPE

SACRORUM REFORMATIONEM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES ACADEMICOS

RITE OBTINENDOS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

IN AUDITORIO DOMUS REGIAE DIE XXIII OCTBR. H. IX

MODESTE SUBMITTIT AUCTOR

ANDREAS FAABORG MÜLERTZ

COLLEGA SCHOLÆ CATHEDRALIS OTHINIENSIS.

RESPONDENTE ORNATISSIMO

MATHIA HAQUINO HOHLENBERG

THEOLOGIÆ STUDIOSO.

HAVNIÆ MDCCCXVII.

TYPIS ET PRELO TYPOGRAPHICO NOVO

BOÆ BRÜNNICHII.

Digitized by Google

Specimen hoc inaugurale, diligenter elaboratum, dignum judicat Facultas Philosophica Universitatis Regiæ Havniensis, quod ad summos in Philosophia Honores rite obtinendos publicæ disquisitioni subjici possit.

Havniæ Calendis Octobribus
A. MDCCCXVII.

B. Thorlacius,
Decanus Fac. Philos.

Digitized by Google

941.50
M946cp

ANDOVER-HARVARD
LIBRARY
CAMBRIDGE, MASS.

Viro

illustrissimo, eruditissimo,

optimo,

D. LAURENTIO ENGELSTOFT,

membro Collegii Regii, res literarias patriæ moderantis in Univ. Haun. Hist. Prof. publ. ord. societatt. plur. adscripto &c. &c.

fautori æternum colendo

olim præceptori carissimo

animo gratissimo

hoc qualecunque opusculum

sacrum esse jubet

AUCTOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Corrigenda et addenda.

Cum disſertatiuncula hæc me abſente prelo excuſa ſit, nævis haud paucis eam ſcatere postea animadverti, quorum gravisſimis hic relatis, additamenta quædam eadem occaſione adjunxi.

Pag. 1 lin. 12 poſt Lutheri adde: apud nos introductam.

- 8 - ult. l. Roſæfontano.
- 10 - 22 l. Fredericus.
- -- - 28 l. celſisſimus.
- 11 - 23 l. 774.
- 12 - 9 l. ſine.
- -- - 20 l. habuerat.
- -- - ult. l. 805.
- 13 - 18 l. religionem.
- -- - 30 l. 561.
- 16 - 2 l. inſtituerent.
- -- - 29 l. Alſia.
- 18 - 18 l. 1378.
- -- - 10 l. deprehendere.
- 23 - 14 l. 1526.
- 24 - 12 deleatur Andreæ Longi.
- 92 - ult. l. 20.
- 41 - 12 l. antiquæ domus.
- -- - 24 deleatur autem.
- -- - 27 add. Gherlaghus Flor, ſenator Havnienſis, circiter a. 1450 nobilitate donatus eſt. (Adels Lexicon p. 153.)

Digitized by Google

Pag. 42 lin. 28 l. ſita erat.

- 43 - 29 l. multorum incolarum.

- -- - add. Municipia noſtra quid tempore reformationis valerent, cernere quoque licet e vectigalibus, civitati præſtitis; v. Behrmann Chr. d. 2dens Hiſt. Kb. 1815. 2, p. 120.

- 44 - 23 poſt cognomine deleatur punctum.

- 53 - 27 l. imprimerentur.

- -- - 29 l. ſpargeretur.

- 54 - 21 l. imprimendos.

- -- - 28 l. p. 167.

- 56 - ult. l. eccleſiaſticorum.

- 57 - 16 l. diigt.

- 58 - 19 l. didicerat.

- -- - 22 l. Vormordi.

- 59 - 1 a vocabulo hæc &c.

- 60 - 9 a voc. quibus &c. novæ lineæ ſunt incipiendæ.

- 61 - 4 & 5 l. per municipia.

- 65 - 22 poſt facies. ponatur —

- 67 - 11 l. Jacobo.

- -- - 20 l. 1528.

- -- - 25 l. d. Mag. 3.

- 69 - 17 l. per præfectum.

- -- - 20 l. celebrata ſunt.

- 70 - 4 deleatur dicti.

Digitized by Google

Pag. 70 lin. 17 post Franciscanorum ponatur comma.

\- 72 - 26 et pl. l. leg. ceterisque.

\- 74 - 2 l. Ystadia.

\- 75 - 28 l. Georgio.

\- 76 - ult. cfr. vers. dan. p. 60.

\- 80 - 26 loco v. t. lege: Ao.

\- 81 - 19 l. 20. 23 cet.

\- 85 - 29 l. d. Atl. 3,

\- 87 - 13 l. hi,

\- 91 - 2 l. ceterorum.

\- -- - 9 & 22 l. 159.

\- -- - 30 post libro ponatur comma.

\- 95 - 25 l. qvæ refert.

\- -- - 26 l. Celte.

\- 96 - 7 l. catholicos.

\- 101 - 5 adde: Nobiles spe inprimis commoditates et utilitates aliquas sibi comparandi eo deductos esse, ut reformationi faverent, patere videtur cuique respicienti ad odium in Christiernum secundum, huius in Lutheranismum favore excitatum, et ad capitulationem Frederico 1mo injunctam. Quam male vero nobiles multi potentia per reformatione aucta postea in ecclesiasticos evangelicos abuterentur, v. Gjessings Jubl. 2 D. 2 B. p. 148 151. Danske Selsk. Skr. p. 287.

No. 23. p. 265 No. 98. p. 269 No. 101. Pontopp. Ann. 3, p. 280. 430. Rhode Lollands Hist. p. 177. Baden om Sæderne efter Ref. 3. 48 ff. Münter 2, 340. 386. Wandall Jægerspr. p. 321. Cragii Ann. p. 206. Grundtvig Roeskilderim p. 133.

Digitized by Google

Inter multa illa, memoratu maxime digna, quæ per tantam annorum ſeriem ab antiquisſimis inde temporibus ad noſtram usque ætatem in patria noſtra geſta ſunt, non est cur negemus, nullum factum esſe, quod magis valuerit ad characterem et mores nationis formandos, ad firmitatem regno, felicitatem populo tribuendam, nullum, quod animo gratiore Deo nos obſtrictos tenere debeat, quam Reformationem illam Lutheri, eximium ſane et memorabilem eventum, quo religio chriſtiana, tenebris obtecta et obvoluta, iterum pura et ſincera evaſerit, ita ut lumen illud divinum, ad tempus quodammodo obſcuratum, beneficos radios per totam civitatem Chriſto ſubjectam denuo emiſerit 1).

1) Non enim ſunt illi audiendi, qui dicant, commoda, quæ reformationem ſequebantur, ad terras reformatas, ut dicuntur, reſtricta fuisſe, cum potius obſervandum eſſet, in terris quoque catholicis, et poteſtatem pontificis romani longe minorem, et culturam populorum in univer-

Digitized by Google

Quodnam enim maius beneficium divinum possumus cogitare, quam hoc, ut lætissimum ita et reapse maximum et summo numinis æterni amore nobis oblatum: veritati suum constare honorem, veram de Deo et de rebus divinis notitiam esse propagatam, sacram denique scripturam omnibus innotuisse, quâ homines vel minime exculti certam ad recte cogitandum et recte agendum viam cognoscere possunt eamque ut divinitus patefactam sequi. Unde hoc secutum est, ut superstitio et ritus quasi gentiles eradicata sint, deusque jam agnoscatur ut spiritus, quem ἐν πνευματι και ἀληθεια colere oporteat. Quâ notitia quid potest esse cum lætius cogitatu tum spei nostræ salutarius? Quin et libertatem, animo humano redditam, reformationi acceptam referimus, quæ id porro effecit, ut scientiæ artesque divinæ lucem menti affundant, nec fides jam habeatur fictis et superstitiosis opinionum commentis, quibus credere antehac moris fuit. Quo etiam maiore reverentia et admiratione nos Deum omnipotentem venerari oportet, qui omnia adeo bene rexerit, ut, quæ eius erat benevolentia

sum longe majorem nunc esse quam ante reformationem et huic nominatim deberi magnam partem mutationis illius salutaris.

erga patriam nostram et universum genus humanum, depressam hominum mentem ad altiora spectanda erigeret, id quod humano oculo difficillimum esse et vix fieri posse videbatur.

Quæ cum ita sint, cumque res in patria gestas contemplandi studium mihi carissmum semper fuerit, lubet quoque sapientiam Dei in istis περιστασεσι moderandis, quibus factum est, ut reformationi facilis in Daniam aditus pateret, admirari. Illa enim, ut Senecæ 2) verbis utar, quæ in rerum natura confusa et incerta videntur, non ideo sine ratione, quamvis subita sint, accidunt; sic nec quæ in vita quotidiana fiunt, a fato aut fortuna — quæ vulgi est opinio — sed a Dei gubernatione pendent. Id igitur hoc tempore mihi sumsi, ut ostenderem, quibus adminiculis fulta et adjuta *Reformatio* aditum atque progressum in patria nostra obtinuerit; quod pluribus rationibus cognoscendum et relatu dignum mihi videtur. Ad hanc materiam tractandam quædam jam collegit cl. G. L. Badenius noster, vir doctissimus, de historia patriæ inprimis optime meritus; qui in una commentationum historicarum, quas plurimas ei debemus, hanc quoque quæstionem, licet obiter,

2) Provid. c. 1.

Digitized by Google

attigit 3). Quæ autem ab illo v. cl., quoniam alius ſcopus ei propoſitus erat, breviter ac mixtim attacta ſunt, hoc loco uberius et ordine ſuo explicare ſtatui, additis exemplis hiſtoricis, et collectis pro parte virili omnibus, quæ ad hanc rem illuſtrandam aliquo modo pertinere mihi videntur. — Igitur cum conſidero et animo contemplor, quænam cauſæ esſent, cur reformatio apud nos inde ab initio atque celerius quam apud alias Europæ gentes comprobata et a tota natione, etiam ab infimis, recepta ſit 4), —

3) In commentatione, quæ inſcribitur: Bidrag til Sæderness og Oplysningens Historie i Danmark i første Aarhundrede efter Reformationen; inſerta diario Minerva, Oct. 1802, ubi de hac re loquitur auctor pag. 33-35.

4) Cauſæ, quæ accesſum reformationis ad nos facilem reddebant, ex parte eædem erant vel ſimiles eis, quæ in aliis terris, v. c. in Germania, eundem effectum habuerunt; quædam autem vel noſtræ nationi propriæ ſunt, vel tamen hic alio modo temperatæ. Hoc vero apud nos maximopere notatu dignum est, ipſam nationem doctrinam Lutheri foviſſe, et ſponte ſua amplexam eſſe, quamobrem reformatio in Dania non principum ope tantum, ut v. c. in Borusſia, inſtituebatur, verum multo magis ipſius populi cogitandi ratione eam flagitante, cum contra apud multas alias gentes vel principis exemplum, vel auctoritas procerum,

Digitized by Google

quod phænomenon genti nostræ illius temporis haud parum honori esſe absque dubio cenſendum est, — *ſex* hasce præcipuas reperio cauſas, ad quas omnia cæteroquin hac de re notanda referri posſunt: *primam*, quod ipſius doctrinæ ratio et naturalis illa vis, veritati inſita, facilem aditum reddidit ad mentes, veritati accipiendæ paratas; *ſecundam*, quod maior cultura ſensusque veri ac recti noſtræ genti quam pluribus aliis tunc fuisſe videtur; *tertiam*, quod — et hoc inprimis notandum — cives oppidani ſ. incolæ municipiorum, qui primi religionem reformatam amplexi ei inſigniter favebant, eximia cultura, auctoritate et exiſtimatione eo tempore præditi, magni ubivis momenti in rebus patriæ noſtræ fuerunt; *quartam*, quod incommoda magna et multa, quæ ſecum attulerat hierarchia, jam manifestiora fuere, quam quæ diutius tolerari posſent; *quintam*,

vel ſpes quorundam ditescendi, vel aliæ cauſæ eiusdem generis efficerent, ut religio chriſtiana reformaretur. Licet ergo — quæ humanarum rerum est conditio — cauſæ minus juſtæ hic quoque aliquid valerent, tamen ſummo numinis beneficio res ita gerebantur, ut ſine violentia aut bellis inteſtinis facillimum ad patriam aditum mox conſequeretur doctrina Lutheri.

Digitized by Google

quod mores dissoluti clericorum quemvis bene cordatum non potuere non offendere; *sextam*, quod multis hominibus quoque religionis catholicæ eversio et abolitio diversis modis usui fore visa est. Earum causarum quam justa quamque sufficiens sit unaquæque, ope historiæ jam videamus.

I.

Primo itaque loco inter auxilia ad introitum reformationis promovendum facientia, quis dubitet *ipsam doctrinæ veritatem* referre, quam non humanis consiliis sed vi et providentia divina proferri, omnia indicabant. Scilicet magna est vis veritatis, summa potentia Dei, admirandus denique effectus, quem semper habuit verbum divinum ad animos hominum contra externos labores firmandos; quæ qui neget, respiciat quomodo a tenui initio religio christiana, tanquam planta tenera et mollis, subinde creverit et arbor excelsa evaserit, cuius sub ramis nationes terræ perfugium et ut ita dicam operculum invenerunt. Quotque præterea exstant per totam historiam, præsertim post fundatam religionem christianam, illius potentiæ divinæ exempla, quam habet veritas,

Digitized by Google

ut viam ad cor uniuscuiusque hominis, vel maxime resistentis, sibi aperiat. Quanto magis igitur hoc fieri debet in religione christiana, quippe cuius doctrina, utpote divinitus nobis oblata, veritatem sinceram fuci omnino nesciam contineat. Quod quoque in propagatione reformationis non aliter fuisse, plurima exstant documenta, nec desunt exempla ab historia reformationis in patria sumta; quæ si omnia proferrem, prolixior fierem, et a proprio incepto facile declinarem. Illa igitur sufficiant, unde pateat, quomodo reformatio multifarie adjuta ita procederet, ut vis veritatis et numinis omnia dirigentis manifesto se declararet. Ut primum nempe notitia purioris doctrinæ ad nos venerat, tantum studium et desiderium apud plurimos melioris indolis juvenes et apud omnes fere,

„quorum meliore luto finxerat præcor-
dia Deus,“

ortum esse constat, ut multi magnæ spei adolescentes certatim Vitebergam proficiscerentur, ubi quasi ad pedes Gamalielis sedentes, ex ore ipsius Lutheri consulta religionis divinæ audirent, atque ad exemplum viri huius magni, fortis, et indefessi formati, animum fiduciâ Dei elatum inter omnes vitæ angustias exhi-

Digitized by Google

berent 5). Qvæ res absque dubio vix ita se habuisset, nisi primus jam veritatis divinæ conspectus optimorum quorumque animos ita allexisset, ut vel a patria discedere et plurimas obire molestias pro nihilo ducerent, dummodo veritatem percipere iis contingeret. Quid vero potest esse manifestius ad vim veritatis declarandam? — Inter quos adolescentes Vitebergæ institutos, quorum postea erat

5) Quoniam hæc res est notissima, sufficit librum unum valde notabilem hic nominare: Schumachers gelehrter Männer Briefe an die Könige in Dännemark, unde patet, et quanta diligentia juvenes dani literarum studiosi institutione academica in Universitate Vitebergensi uterentur, et quanta liberalitate vere paterna ipse *Christianus tertius*, rex Daniæ summa veneratione semper memorandus, permultos ex iis pecunia sustentaret. Rex vero hic, vere christianus, ipsis quoque reformatoribus, Luthero v. c., Melanchtoni, Bugenhagio Pomerano, cet. et post mortem Lutheri viduæ huius et filiis pluribusque præter hos et pecunia et aliis donationibus sæpius succurrit. vid. Pontoppidan Annales eccl. d. 2, p. 770; Schumacher Gel. M. Br. 1, p. 38. 40. 61. 89. 102. 175. 234. 2, p. 7. 8. 47. 64. 82. 102. 127. 268. 271. 479. 3, p. 247 &c. — Nobiles quoque juvenes Vitebergam ad Lutherum audiendum profecti sunt, vid: Gamst de Petro Parvo Rosofontano, p. 26.

Digitized by Google

reformationem in Dania prædicare, primus nominandus est inclytissimus ille *Johannes Tausanus*, postea Episcopus Ripensis 6), in cuius vita et factis veritas,

6) Inter multos alios, dignos, qui æterna et grata memoria ob religionem reformatam in patria fundatam colantur, hoc loco quoque nominandus est plurimum venerandus vir Georgius Jani (s. Johannis, Pontoppidans kurzgefaßte Reformationshistorie p. 81, Danske Mag. V, 193) cognomine Sadolin, primus scholæ Vibergensis Rector lutheranus, primus deinde Othiniæ (Gyldenstjernii, Electi Fionensis, qui licet catholicus tamen a partibus Lutheranismi stetit, opera et tutela adjutus) religionem reformatam docens, primus posthac ad Ædem divæ Virginis Havniæ sacerdos lutheranus, primus denique post reformationem Episcopus Fionensis. Primus quoque confessionem augustanam danice vertit, quæ prodiit Ao. 1533, idemque Catechismum Gyldenstjernii edidit. Plura de præclaro hoc verbi divini ministro inveniuntur apud Hvidtfeldum, Pontoppidanum (An. e. d. 3, 121), Blochium (Fyenske Geistligheds Historie p. 1), Münterum (Ref. Hist.), Wormium (Lærde Lex.), Nyerupium (Hist. statist. Skildr. V. p. XLIII) &c. — Ossa eius, in æde Franciscanorum, quæ nunc prorsus diruitur, Othiniæ humata, postquam effossa erant, in ædem St. Canuti huius urbis, non nisi pia manu, portanda ibique iterum sepelienda, et lapidem sepulcralem (D. Mag. l. c. in ære incisum), ut levior cippus premeret ossa viri, eodem

Digitized by Google

quantum valeat, clare indicavit. Natus in Fionia e pauperibus parentibus in colonica juxta pagum Birkinde a. 1494 7), institutione literaria primum in schola Othiniensi, deinde sub Martino Borupio in schola Arhusiensi fruitus, in coenobium ordinis Johannei, Andersskov (vulgo Antvorskov) dictum deinde receptus, post iter Coloniam sumtibus Prioris coenobii factum, Vitebergam clam ad Lutherum proficisci ausus est, non sine timore, ne, si notum foret, eum Universitatem hæreticam dictam petiisse, omni auxilio e patria privaretur. Qvo loco biennium moratus, ad patriam deinde reversus, vis veritatis quanta sit, præclare ostendit. Cum enim primum in coenobio Andersskoviensi doctrinam lutheranam prædicasset ideoque carcere punitus posteaque Vibergam in monasterium

transportandum curavit anno superiore illustrissimus princeps *Christianus Fredericu*, memoriæ majorum conservandæ amantissimus, cui res publicas huius provinciæ moderari ab augustissimo rege traditum est; pari pietate cippum Henrici Ranzovii (Nyerup l. c. p. XLV, Molbechs Ungdomsvandr. 2, 159), in ædem eandem pervehi jussit celcissimus princeps.

7) vid. Dänische Bibliothek 1, p. 2. Molbechs Ungdomsvandringer 2, p. 104.

Digitized by Google

St. Johannis transmisſus esſet 8), tantum abſuit a veritate reticenda, ut multo magis novam doctrinam cum fratribus ordinis intrepide communicaret; quamobrem cum Prioris jusſu in vincula conjectus esſet, malis veritatis cauſa perpetiendis etiam gaviſus, per fenestras carceris conciones incolis urbis et fratribus quibusdam monaſterii, veritatis avidis et quaſi ſitientibus, habuit. Ita verbum illud veritatis divinæ ne carcer quidem parietibus ſuis cohibere valuit, et reformata religio chriſtiana per Tauſanum, ut jam quoque per alios 9), magis magisque divulgata est, donec Fredericus primus, rex pius et reformationis fautor, regia ſua autoritate Tauſano præſidium præſtaret 10), et ſequenti anno in conventibus Othinienſibus 11) doctrinam Lu-

8) Relatio de hac re, quam habet Wandall (Mindesmærker paa Jægerspriis, Kh. 1783, p. 291) aliquantulum differt a relationibus Pontoppidani (Annal. 2, 778), Münteri (Ref. Hist. 1, 435), et Dän. Biblioth. 1, p. 5. — Vitam Tauſani auctoribus Brönlund et Rön ſub hoc opere inſpicere mihi non contigit.

9) Münter, Ref. Hist. 1, 453 &c. — Pontopp. Ann. 2.

10) Epistola ao. 1526 Alburgi data, qua vetat rex, ne quid violentiæ in Tauſanum committatur, legitur in Dän. Bibl. 1, p. 8.

11) Hvidtfeld (editio in folio) p. 1301.

Digitized by Google

theri publice tradere omnibus permitteretur 12). Quantos vero progresſus jam tum fecisſet reformatio in Dania, patet inprimis e verbis ipſius regis, qui in pulchra ſua oratione, in his conventibus latine habita, inter alia his verbis utitur 13): „Et quoniam in his regnis doctrina chriſtiana juxta Lutheri reformationem tam alte jam radices egerit, ut *ſine cæde et ſangvine* ac magno regni et incolarum incommodo haud facile averruncari jam queat, ideo hæc regia nostra est voluntas, utramque in his regnis religionem, tam lutheranam quam pontificiam, libere permittendam esſe tantisper dum Concilium aliquod generale in exteris in-

12) Lapis ille ſ. cippus ſepulcralis, in uno coemeteriorum Vibergenſium ſitus, quem inſiſtens Tauſanus, cum e cuſtodia emiſſus eſſet, primas ſuas conciones habuisſet, per longam annorum ſeriem conſervatus erat, donec nostris (eheu!) temporibus erueretur. Sic quoque ædes antiqua Franciscanorum Viburgi, cui incendium bis pepercerat, his ultimis annis diruta est una cum turri et alto eius culmine, quod ſacerdos Aſtrupius, jam defunctus, episcopi titulo ornatus, juvenis erigi, ſenex haud ſine moerore deſtrui vidit. (Molbechs Ungdomsv. 1815. 2, p. 142).

13) Pont. Ann. 2, 803.

dictum fuerit." 14) Quod vero tam celeriter vicerit doctrina, paucis abhinc annis omnibus ignota, ad vim veritatis declarandam satis valet. — Huc etiam attinet observare, plurimos clericorum et sacerdotum catholicorum doctrinam Lutheri mox amplexos esse, ideoque in muneribus permansisse; quæ res tamen, cum aliqui sine dubio rationibus pravis vel injustis adducti hoc facerent, minoris est momenti. — Sed superfluum foret, omnia exempla, huc facientia, singula-

14) Hi solennes procerum regni conventus, Othiniæ mense Augusto a. 1527 habiti, duplici respectu in historia nostra memorabiles sunt, partim quod primi erant primorum regni conventus, religionis solum causa instituti, cum alias quæ ad religionam pertinerent in iisdem conventibus quibus alia negotia publica, tractari solerent, ita tamen, ut negotia sacra non mixtim cum profanis sed anto omnia alia tractarentur; (Münter Refh. 2, 226. Hvidtf. 1396) partim quod recessus, ut vocatur, in his conventibus sancitus, reformationem in patria ita fundavit, ut ante decennium elapsum religio catholica plane abolita esset. — Eodem recessu etiam quædam de decumis ordinata sunt, et jurisdictio ecclesiastica aliquatenus diminuta et limitata est, de quo vid. Münter Ref. Hist. 1, 361 et Chronicon Skibyense, insertum Langebekii et Suhmii collect. scriptor. rer. dan. m. æ. T. 2, p. 583.

Digitized by Google

tim exponere, cum religionem vicisse et maxima celeritate enunciatam acceptamque esse scire sufficiat, ut cognoscamus et plane videamus, hoc sine providentia divina et doctrinæ veritate fieri nequivisse 15).

15) Interea non est diffitendum, auxilia violentiora ad reformationem celerius introducendam quoque apud nos, ut multo magis alibi, adhibita fuisse (vid. quæ pulchre observavit Münterus, Ref. H. 2, 49); eiusmodi autem est numinis divini providentia, ut, libertate hominibus concessa, etiam mala ab iis patrata Deus ad meliora adiuvanda vertat Exempla violentiæ vid. Pontopp. Annal. 3, 61-62, Münter Ref. H. 2, 48. 90. 169. &c. Wadskiær (Poet. Skuepl. p. 229) narrat de monacho quodam Trælleburgi in Scania, qui, cum reformatio introduceretur, a protestantibus quibusdam tantum non interfectus est. Tali vi inprimis in monachos, mendicantes præsertim, quorum numerus major erat, grassatum est, cum avaritia quosdam duceret ad monasteria concupiscenda, quæ sua facerent. — Nec reticendum est (quod Münterus in egregia sua de reformatione danica historia non observasse mihi videtur), media etiam superstitiosa interdum esse usurpata, quibus plebs credula et imperita, odio in monachos et clerum catholicum insuper accensa, facilius ad Lutheranismum capessendum impelleretur. Exemplum huius rei est narratio de prodigio in Æde St. Olai Helsin-

Digitized by Google

Nec hoc loco prætereundum est, quantum effectum habuerit usus pſalmorum danicorum (inter ſacra ſolemnia publico cultu divino celebranda inſtitutus) quos reformatores danici ad exemplar germanicorum mox introduxerunt; qui mos pſalmos vernacula lingua canendi novam religionem vulgo haud parum commendabat. Scilicet hæc est poëseos natura et indoles, præſertim cum cantus, ad pectus ſalubriter commovendum compoſitus, ſensa intimi pectoris exprimit, ut animum ſenſu generoſi et honesti impleat, et veritati, pulchris verbis ornatæ, facilem ad pectus et intellectum acceſſum præbeat. Notum quoque est, quam felici ſucceſſu reformatores in Germania 16) uſum pſalmorum germa-

gere facto, ubi vox quædam unum pſalmorum Davidis canens audiri dicebatur (v. Boeſen Helſingørs Beſkriv. p. 216 et pl. e.) Aliud exemplum mecum communicavit vir cl. ſupra laudatus G. L. Baden, quod invenitur in Phyſica Schotti, ubi narratur, monſtrum quoddam marinum ſpeciei et figuræ humanæ (qualia monſtra in maribus borealibus frequentius occurrere credebantur) veſtitu pontificis romani indutum, apud Malmogiam a. 1531 captum eſſe, quod plebi multarum adverſus pontificem romanum cavillationum anſam dedisſet.

16) Itemque in Holſatia; Pontopp. Ann. 2, 138.

Digitized by Google

niça lingva compositorum, præclaros inprimis Lutheri hymnos, instituerunt; cumque reformatores danici studia pietatis excitandæ et alendæ non minus foverent, invaluit mox usus psalmorum danicorum 17), et quidem primum Malmogiæ (1528), dein Havniæ, Vibergæ, et

17) Primos scripserant Nicolaus Vascularius (lingua nostra Claus Tøndebinder s. Claus Mortensen nominatus), ecclesiastes Malmogiensis, Johannes Sitularius (dan. Hans Spandemager), postea sacerdos primarius Lundensis, et Tausanus; vid. Seckendorfii Historia Lutheranismi (Lipsiæ 1694. fol.) p. 1003; Langeb. Scriptores 2, p. 583; Dänische Bibl. 7, 718; Münter Ref. H. 2, 10. 15. 59. Prima collectio danica hymnorum divinorum Rostochiæ prelo excusa erat. — Psalmos latino idiomate confectos diu tamen post reformationem in usu apud nos fuisse, saltem quibusdam locis, observavit G. L. Baden (Minerva, Oct. 1802, p. 36). Ao. 1640 capitulum Roeskildense psalmos latinos in templis municipiorum usurpare vetabat; eodemque anno, monente J. Brochmanno, Episcopo Sialandiæ, rex edixit, ne discipuli scholarum in quotidianis precandi horis hymnis latinis uterentur. (Dän. Bibl. 2, 84). Ericus Pontoppidanus, vir de patria pluribus modis meritus, dum in parochia Hagenberg in insula Alsi sacerdotis munere fungebatur, primus missam latino idiomate hactenus celebratam abrogavit. (Ann. l. c.)

Digitized by Google

in pluribus urbibus. Hosce vero hymnos, vernacula lingua conſcriptos, a civibus piâ lætitia et gaudio religioſo acceptos, atque diligenter nec ſine optimo fructu uſurpatos fuisſe, exinde patet, quod omnia exemplaria mox divenderentur et novas editiones intra paucos annos curandi necesſitas adeſſet; diſertum quoque teſtimonium habemus in obſidione Halmſtadiæ a. 1534; post finitam enim obſidionem, cum Sveci, de expugnatione urbis deſperantes, incenſis caſtris discesſum adornavisſent, oppidani in moenibus ſtantes clamore ſublato laudes Deo pro victoria occinuere 18).

II.

Altera cauſa felicium reformationis in Dania progresſuum quærenda mihi videtur in cultura nationis nostræ, quæ, licet mores externos quod attinet minus polita, tamen veritatis ſtudio, ſcientiarum amore, pietate, et ſenſu recti jam ab antiquioribus temporibus inſignem ſe reddiderat. — Valde enim memorabile et magnopere admirandum est, cum ſub finem medii ævi maxima ſuperſtitio in

18) Canebant hymnum præſtantem Lutheri: Vor Gud han er ſaa faſt en Borg. Hvidtf. p. 1436. Cragii Annales Ch. 3. p. 72.

rebus ad religionem pertinentibus per totam Europam regnaret, quomodo providentia divina omnia ita moderaretur, ut post finitas expeditiones cruciatas, et inprimis feculo XVto, multa acciderent 19), quæ ad meliorem cogitandi rationem, ad liberaliores de rebus ecclesiasticis ideas, igiturque ad reformationem in ecclesia christiana promovendam, insignem vim haberent. Quarum rerum effectus per totam Europam sese ostenderant; nec fuit patria nostra commodorum hinc oriundorum expers. Inprimis autem doctrina Hussii in terris hisce septentrionalibus et præsertim in Dania nota erat et tam alte radices jam egerat, ut liberior

19) Schisma magnum inter papas Romanos et Avenionenses (3178-1417), quod existimationem populorum de papis tanqnam infallibilibus ecclesiæ rectoribus valde fregerat; occupatum per Turcas imperium orientale (sec. XIV-XV), quo occupato multi docti viri coacti patriam terram deseruerunt et in Italiam migrarunt, unde lux scientiarum per totam Europam ope inprimis typographiæ sparsa est; ars typographica circ. a. 1444 Argentorati et Moguntiaci inventa, qua incrementum idearum ideoque cultura animi in universum quam plurimum adjuta est; purior denique doctrina, quam Wicklifus, et post eum Johannes Hussius tradiderant, quæ meliorem de rebus divinis judicandi rationem effecerat.

Digitized by Google

cogitandi ratio exinde ſuccreſceret, quæ reformationis progreſſus egregie juvabat. Incolæ nempe terrarum noſtrarum, libertatis ſemper amantes, veritati percipiendæ omnino erant aptiſſimi; huc accedebat nexus mercaturæ, quæ nos inter et peregrinos erat, et cui haud defuerunt ſoliti effectus ad judicium acuendum et intelligentiam excolendam. Quibus rebus factum eſt, ut fabulæ illæ aniles, quas, lucri ſordida cupidine adducti, ementiti erant monachi, jamjam irriderentur et in ludibrium abirent 20); libera-

20) Superſtitionem temporibus reformationem antecedentibus hic ut alibi tantam fuiſſe, ut rationi nullus eſſet honos, et religione vere chriſtiana fere exſtincta, cultus multorum illorum ſanctorum in meram idololatriam abiiſſet, quis eſt qui ignoret. Cuius rei documentum hoc eſt graviſſimum, quod Deus ipſe triunus inter ſanctos ſub nomine „St. Drotter" et Chriſtus ſervator ſub nomine „St. Hjelper" referebantur. Pont. Ann. 2, p. 522 ſqq. Eodem loco autor plura affert exempla, e quibus luculenter patet, quouſque prava hæc atque abſurda ſuperſtitio in fictis fabulis ſerpsiſſet; ſono campanarum v. c. ſpectra et lemures cet. abalienari poſſe credebantur. Id quoque valde notabile eſt, quod in antiqua cantilena narratur de Jono Rimaardi (Kæmpeviſerne 3 Part No. 2; nova edit. per Abrahamſon, Rahbek, et Nyerup. Havn. 1812, p. 2da p. 224), qui mortuus

Digitized by Google

liores de rebus divinis notiones brevi vul-

est Ao. 1298, regnante Erico Menved (Suhm Historie af Danmark XI p. 287); tempestate enim magna inter navigandum exorta, cum nautæ crederent, virum aliquem homicidio et aliis criminibus infamem navi vehi, cuius causa tanta tempestas orta esset (hæc enim erat vetus opinio, cuius plura exstant in V. T. exempla, cfr. Horat. Carm. lib. 3, Od. 2, v. 28), sortitione hunc deprehendre posse credebant; cumque Joni Rimaardi sors exiisset, et jam in eo esset, ut in mare conjiceretur, nec sacerdos aliquis adesset, cui delicta confessum iret, quæ commiserat, coram malo vel clavo confessus est, quod indicant versus:

Det var Hr. Jon Rimaardsøn
faldt paa sine bare Knæ,
og saa gjorde han sit Skriftemaal
alt til det Segletræ.

et porro:

Den rige Christ i Himmerig
jeg takker her for sin Naade;
havde jeg henfaret uden Skriftemaal
min Sjel maatte lide stor Vaade;

unde patet, quantam vim confessioni etiam sine absolutione, tribuerit illorum temporum superstitio. — Reperimus quoque, inter abstinentiam carnis tempore ante-pascali, annua memoria dolorum et mortis Christi solemni, factum esse, ut alter alterius loco carne abstineret (Pont. Ann. 2, p. 328), quod ut ridiculum ita quoque tanto magis mirum, cum

Digitized by Google

gares factæ sint 21); et autoritate papa-

butyro tamen et ovis solemni jejunio frui permissum esset.

21) Quam mature puriores de rebus ad religionem pertinentibus notiones hic obtinerent, quamque celeriter melior de his rebus judicandi ratio in terris nostris radicesceret, plurima docent exempla. Münterus, vir summe venerabilis, ut doctissimus ita et clarissimus, in historia sua reformationis (1, p. 195) multos Valdenses in Ditmarsiam confugisse observat, quos notiones liberiores et potestati Pontificis romani noxias in patria nostra sparsisse, non est dubitandum. (Nescio tamen, an nex pastori cuidam in Ditmarsia a. 1415 illata, ut Müntero placet, l. c. p. 211, demonstret, autoritatem paparum valde esse imminutam; cum repugnantia et obluctatio Ditmarsicorum contra reformationem et atrox inprimis combustio Zutphani, evangelici primi in Ditmarsia doctoris, contra hanc sententiam plus valere mihi videantur). Recte quoque Pontoppidanus (Ann. 2, 319) observavit, Clementem Ramvaldum primum hæreticæ pravitatis in Dania inquisitorem Ao 1402 constituendo, curiam romanam indicavisse, hæresin sic dictam in terra nostra haud ignotam fuisse. Münterus etiam (l. c. p. 213) indicat e statutis synodalibus Birgeri, Archiepiscopi Lundensis, (qui Archiepiscopus factus est Ao. 1497 et erat Cancellarius Dorotheæ reginæ, vid. Scriptor. 6, p. 639), id nonnunquam factum esse, in his ut

Digitized by Google

rum ex vulgi saltem opinione imminuta, desiderium reformationis apud nos

in aliis terris, ut aliquis de se ipso inter confitendum etiam fateretur, se hæresi alicui addictum fuisse. Johanne Rege regnante sententiæ, quas Hussii doctrina divulgaverat, magnæ apud nos erant auctoritatis, quod præter alia indicant verba auctoris Chronici Skibbyensis (l cit.), de expeditione Johannis Ditmarsica loquentis; qui dicit, proceres regni *in Bohemicam factionem* valde propensos fuisse; unde sane notandum, quod Langebekius v. cl. jam observavit, quam mature et ante Lutherum scintillæ Reformationis postea insecutæ in Dania emicuerint. — Haud alienum est notare, caelibatum clericorum nullibi minus placuisse et plures adversarios invenisse quam his in terris borealibus, quod egregie illustravit v. cl. Münterus (Priesterehe und Coelibat im Norden, insert. libro. Beyträge zur Kirchengeschichte &c. p. 330); nec ullibi citius hoc jugum exuebant ecclesiastici. Jam Christiernus secundus a. 1521, cum tale exemplum nunquam antea datum esset, nec in tota Germania nisi duo sacerdotes matrimonium iniissent (Münter Refh. 1, 295), lege jussit, ut clerici, si prædia emere vellent, verbis Paulinis 1 Tim. 3, 2 obedientes uxores ducerent. Taussanus jam a. 1525 matrimonium inivit, eodemque anno, ni fallor, Georgius Jani Sadolin (Bloch F. G. Hist. p. 11); et a. 1529 Chr. Schrockius, parochus Asnesiæ civitatis in Fionia matrimonium clericorum publice defen-

tanto vehementius fieret 22). Eodem tempore per probos aliquos verbi divini

dere non dubitavit (Münter l. c. 2, p. 60). Virginem quoque monasticam monasterium jam 1520 reliquisse, auctor est Pontopp. l. c. p. 770. Nempe sensus ille recti, quem genti nostræ tanquam insitam esse inficias ire nequimus, consuetudinem, licet bono forsan consilio stabilitam, tamen moribus noxiam et per se detestabilem, diu valere minime pati potuit. — In Islandia etiam notiones, doctrinæ pontificiæ adversas, mature pervulgatas fuisse, solita doctrina observavit Münterus (l. c. 1, 225). — Adde, quod milites Frederici 1mi (1526) Paulum Eliæ a rege abeuntem manibus ac armis minando et clamores exprobrationesque in eum edendo indicabant, quantum evangelicæ doctrinæ jam tum essent dediti (Pont. Ann. 2, 794). Quæ omnia indolem nationis honorifico modo arguunt, cum in tota historia reformationis vix natio sit nominanda, ubi evangelium tam tempestive, tam celeriter, et tanto omnium consensu acceptum sit; quod e sectione sequenti clarius apparebit.

22) Exemplum adest in seditionibus rusticanis, Ao. jam 1438 in Jutia motis; cum enim rustici, Eugenium, pont. rom., in concilio Basileensi vitam flagitiosam clericorum examinavisse et reprehendisse, audivissent, ut eventus huius rei prius exspectaretur quam decumas aut alia, quæ præstare deberent, ecclesiæ tribuere vellent, postulavere. (Cæterum de hac re vide plura infra in sectione IVta).

Digitized by Google

doctores et egregios ſcholarum præceptores, multi inprimis juniores formati erant, qui ſolidiori doctrina inſtituti, vera fide et reverentia Dei imbuti, ad ſubliimiores de Deo notiones tradendas maxime erant idonei 23). Igitur pcst

23) Quis est, qui caritate benevola et admiratione non uſurpet memoriam talium virorum, ut Martini Borupii (de quo pulchrum carmen honorificum ſcripſit Grundtvig, v. Saga p. 148), Johannis Tauſani, Francisci Vormordi, Petri Parvi, Andreæ Longi, Chr. Schrockii, ut Sadolini, Skonningii, Chr. Torchilli Morſiani, Jani Andreæ, Thomæ Canuti, Petri Borgſmed, ut Johannis Friis, Johannis Ranzau, Magni Giöe, Petri Svave, ut Hermanni Tast, Chriſtierni Petri, Nicolai Vascularii, Johannis Sitularii, Petri Palladii, Andreæ Lungii, Jacobi Frost, cet cet. (de quibus vide: Münter Ref. 1, p. 255 348. 2, p. 84. 202. Pont. Ann. 2, 338. Bloch 1 c. p. 601 & pl. l.), qui omnes, diverſis modis, ut reformatio propagaretur, pro parte virili effecerunt. Juvat hoc loco alium virum hocce reſpectu meritum nominare N. Brunium, de quo non niſi pauca ſcimus (Bloch l. c. p. 268), cuius autem mentionem facit Manuſcriptum Bircherodianum „Inscriptiones Othinienſes cum Annotationibus hiſtoricis," cuius exemplar posſidet ſereniſſimus et celſiſſ. *Christianus Fredericus*, princeps Daniæ, quodque de hoc viro ita: „*Nicolaus Brunius* in profligandis erroribus „pontificiis M. Georgii Johannis fidisſimus in

Digitized by Google

inchoatam reformationem, ut Lutherus, Melanchthon cet. libellis impressis summam novæ doctrinæ vulgo tradere non dubitaverant, sic quoque apud nos Taussanus ceterique doctores purioris religionis 24) scriptis editis potiora capita formulæ Lutheri exposuerunt, ut omnibus, quibus sana mens esset, comparatione claresceret, quomodo et quantum catholicæ doctrinæ præstaret lutherana; quæ

„urbe hac socius, non sine vitæ periculo, a „plebe superstitionum veterum tenace sibi „aliquando intentato. Illô ad Episcopatum „evecto et plenâ Reformatione Ecclesiæ facta, „a Priore monasterii Canutiani Christierno „Paulino, cui Rex Christianus tertius vo„andi jus concesserat, primus apud Othini„enses Lector Theologiæ (Bloch l. c. tamen ante eum habet Petrum Hæring) constituitur „anno 1539." — Hoc in libro aliquo impresso invenisse non memini. cfr. Bloch, Fyenske Geistl. Historie p. 703.

24) v. c. Franciscus Vormordi, Christiernus Petri, Nic. Vascularius pl. — cfr. Krag Christian den tredies Historie (version. dan.) p. 20. Münter Refh. 2, 270. Wandall Jægerspr. p. 296. &c. Contra quos scripsit inprimis notus ille Paulus Eliæ, de quo, an cognomen suum danicum „Vendekaabe" non potius propter perfidiam in Christiernum secundum, quam ob animum erga doctrinam Lutheri mutatum a plebe acceperit, non decernere ausim.

Digitized by Google

ſcripta et indicant culturam nationis; idoneæ cui talia offerri poſſent, et eam magis magisque excoluerunt. Ad quod vero efficiendum gravisſimi momenti erat ipſius ſacræ ſcripturæ verſio, quam lingua germanica Lutherus ideo jam in arce Vartburgenſi inſtituere coeperat, posteaque elaboratam edidit, quod factum, ut Moshemius v. cl. 25) recte et pulchre obſervavit, plus valuit ad eccleſiam Lutheranam ſtabiliendam quam cetera omnia. Quamobrem cum aditus reformationi apud nos patefactus esſet, et mens nationis nostræ deſiderio veritatis cognoscendæ quasi flagraret 26), danicas Bibliorum verſiones curare omnino necesſarium erat; cui, ut cæteris omnibus, numen divinum adeo benigne proſpexit, ut intra quinquennium patria duabus jam Novi Testamenti verſionibus gauderet 27), ne dicam de verſionibus

25) Moshemii Historia eccleſiaſtica (Helmſtadiæ 1755. 4.) p. 662.

26) Quod, præter alia, auditorum corona, ſtupendæ fere magnitudinis et frequentiæ, qua primi religionis reformatæ doctores cincti concionabantur, indicat.

27) Prodiit Verſio Novi Teſtamenti opera et ſtudio Johannis Michaelis (Hans Mikkelſen) a. 1524, et Verſio N. T. Chriſtierno Petri auctore a. 1529. De prima harum N. T. verſionum

Digitized by Google

ſingulorum V. T. librorum 28), donec juſſu Chriſtiani 3tii integra ſacra ſcriptura juxta germanicam Lutheri verſionem a profesſoribus haunienſibus ex edicto regio danice translata, a. 1550 ederetur. Quod ſtudium egregium quoque tulit fructum; falſæ enim opiniones e mentibus plurimorum brevi ſubmotæ ſunt, et erroribus ex animis exſtirpatis, cultura, quæ homines ad doctrinam puriorem capesſendam idoneos fecerat, tanto felicius ſe expandit et majora in dies cepit incrementa. Nil igitur mirum, ſi plures 29)

inſpice, ſi placet, præter al. E. Henderſon, A Disſertation on Hans Mikkelſens or the first danish Translation of the New Teſtament. Cophag. 1813. 4.

28) Tauſanus v. c. edidit verſionem notabilem Pentateuchi, quæ prodiit Magdeburgi 1535, et nova editio a. 1537. Tauſanus tum erat profesſor linguæ hebraicæ in Univ. haun.

29) v. c. Münter, Suhm, cet. — Grundtvig (Verdens Krønike, Kh. 1812 p. 378) de hac re ita loquitur: „Ligesom Dannemark i Middelalderen var det mindſt fordærvede Land, blev dets Reformation ogſaa et glædeligt Optrin. Den var ikke Enkeltes Værk, men Folkets høie Begjering, derfor vare ogſaa næſten alle Prædikanterne Indfødte, og ſelv mellem de gamle Biſper vare gudfrygtige Mænd. Grundene hertil maa ſøges, førſt i Folkets aandelige Dybde, og dernæſt i dets ſenere

ſcriptores, talibus rationibus nixi, indolem nationis agnoverint ut cauſam haud parum efficientem reformationis celeriter et feliciter apud nos propagatæ. Quam ſententiam de indole nationis, reformationi apta, etiam alia confirmant. Scimus, quanam diligentia et quanta frequentia ſtudioſi e patria juvenes eo jam tempore, quod barbaricum vocatur, ad exteros literis ſtudendi cauſa, proficiscerentur 30), et primum maxime Lutetiam, ubi notum illud collegium dacicum inſtitutum erat, quo, teſte Helmoldo, „nobiliores patriæ filios ſuos non ſolum ad clerum promovendos verum etiam ſecretioribus rebus inſtituendos mittebant," inſecutis vero temporibus quoque Coloniam, Bononiam, Loveniam,

Omvendelſe til Kriſtendommen. Derfor beundrede Man endnu i Midten af det 13de Aarhundrede de danſke Klerkers Lærdom ved Conciliet i Lyon, derfor fandtes i mange Kloſtre ſkrevne Overſættelſer af Pſalmerne og andre Bibelens Bøger, derfor ſad endnu i Kong Hanſes Tid en vakker Mand Børge med Lindemærket paa Lunds Erkeſtol, derfor bleve Præſterne ikke Tiggere, og under 3die Chriſtian gav Adelen Femtendedelen af al ſin Formue til at betale Landets Gjeld."

30) v. Münter Refh. 1, 155., Nyerup lib. cit. 2, p. 252., et doctisſimam Engelstoftii disſertationem (Skand. Muſeum 1802 p. 93 &c.)

cet., ubi theologia ſcholaſtica tradebatur; et erat illis temporibus doctrina Danorum et inprimis lingvæ latinæ peritia apud exteros clarisſima. Scimus quoque, quot emendatæ religionis ſacerdotes doctoresque post eam introductam mox reperirentur, quibus popularium liberalitas et animus pius necesſarios reditus ſuppeditavit; hosce vero evangelii doctores et eruditione et ſcripturæ notitia tales fuisſe, ut exterorum veſtigia quovis loco premere non esſent coacti, inde patet, quod theologi danici et mox ſacram ſcripturam vertere inciperent, et ipſi doctrinæ profesſionem conſcriberent, articulos nempe quadraginta tres notisſimos, qui diu ceu liber ſymbolicus apud nos valuere 31), donec Auguſtana confesſio, ut omnis doctrinæ diverſitas in eccleſia proteſtantica tolleretur, illorum loco poſita ſit 32). — Characterem nationis quoque declarat ea lenitas et moderatio, qua reformatio inter nos, ſine effuſione ſangvinis vel bello aliquo inteſtino, firmabatur. De quo jam Cragius 33) pul-

31) Münter & Wandall l. cit.

32) Malmogiæ liturgiam edidere parochi urbis a. 1553. (Münter l. c. 2. p. 337.)

33) Annales Chriſtiani tertii. Havn. 1737. fol. pag. 30.

Digitized by Google

chre ita: „Ad crucem, gladium, ignem nusquam ventum est, nec religionis reformatio ſangvine cuiusquam redemta. Quæ miſericordia omnino coelitus præ aliis regnis Daniæ illuxit, quum ubique fere in vivis ac mortuis cremandis extrema ſævitia exercita ſit. Cuius beneficii utinam nobis ita vigeat perenniter memoria, uti ſenſit inde multum emolumenti eccleſia." 34) — Disertum denique teſtimonium de indole nationis illis temporibus habemus, quod dedit teſtis haud fallax, quodque indicat, quantopere ipſius nationis cultura et tota cogitandi ratio reformationi faveret; quod vide apud Seckendorfium l. c. p. 242. 35)

34) Nuperrime v. cl. Grundtvig (Dannevirke, 3 B. 1 H. p. 68) obſervavit, patriam nostram, typis edita collectione proverbiorum danicorum (Petri Laale, ed. Havn. 1506, et postea Pariſiis 1516), ante reformationem, easque in ſcholis introducta, egregium dedisſe documentum huius veritatis: viguisſe in majoribus nostris ſenſum generoſum, patriæ ac lingvæ vernaculæ amore imbutum. — Idem valet de historia danica Saxonis Pariſiis 1514 impresſa, cura Christierni Petri edita.

35) Bugenhagius Pomeranus Othiniæ 1539 inter conventus publicos morans, ad Electorem Saxoniæ ita ſcripſit: „Die Viti (d. 15 Jun.) profesſi ſunt in Comitiis Regni Senatores om-

Digitized by Google

Nec possum hanc sectionem finire, nisi prius breviter observavero, quam egregie animus et mores regum nostrorum cum nova doctrina conspirarent. Ut enim mores et sensus gubernantium characterem nationum, quibus imperant, exprimere sæpissime solent, sic reges augustissimi Daniæ (cuius rei magna gratia Deo est habenda) pietate, justitia, et amore patriæ insignes se semper præbuerunt. Quare reges tunc temporis multis

nes publice, perseveraturos se esse in doctrina evangelica, in qua satis sunt instructi, servaturos etiam ordinationem rituum ante biennium factam; si tamen in Concilio libero pacis et concordiæ causa indifferentes et utiles ceremoniæ, doctrinæ Evangelicæ de remissione peccatorum non contrariæ, recipiantur, illas quoque ad exemplum aliarum Ecclesiarum Christianarum admissuros. Sequenti die producta fuit et cum omni promtitudine et gratiarum actione approbata fundatio et ordinatio Academiæ Hauniensis. Constituti sunt Professores boni, et larga accipiunt stipendia; non dubito de egregio successu, isque jam apparet. Evangelium in regno pure et efficaciter prædicatur; Deus, qui coepit, ulteriorem largiatur profectum! *Nullibi vidi majorem quam in Dania audiendarum concionum cupiditatem;* concurritur etiam diebus non festis, et hyeme ante lucem; in festis tota die; preces fiunt diligenter.“

Digitized by Google

modis id efficere ſtudebant, ut reformatio religionis bene ac ſapienter conſummaretur. Haud levis ſunt momenti, quæ jam Chriſtiernus ſecundus hocce reſpectu fecit 36), qui Reinhardum ad evangelium hic prædicandum invitavit. Quid? quod Luthero, Vormatiam doctrinam ſuam coram Carolo quinto et patribus imperii germanici defenſum evocato, aſylum in Dania aperuit, eumque ad ſe invitavit; idemque prohibuit, ne progresſibus Lutheraniſmi in Dania impedimento esſent Catholici Quantopere vero Fredericus 1mus et Chriſtianus tertius, fautores reformationis cum esſent,

36) Om Kong Christian den andens Reformationsforsøg i Danmark ved F. Münter (Skand. Mus. 1798, 2 B. p. 135 sqq.) Hans Gram om Kong Christiern den Andens forehavte Religions Reformation i Danmark &c. (Khvnske Vidsk. Selsk. Skr. 3 D. 1747. p. 1 sqq.) Behrmann Kong Christian den Andens Historie (Kh. 1815. 8.) 1 D. p. 242, 2 D. p. 147 &c. — Chriſtiernum non ſimulate ſed ex animo doctrinæ evangelicæ faviſse verba eius, cum concionem Lutheri audiviſset, egregie indicare mihi videntur: „ſe tota vita evangelium ita explicari non audiviſse, nec, dum viveret, concionem hanc e memoria ſua delendam esſe, immo jam omnia, quæ ſibi acciderent, Deo juvante, patientius esſe toleraturum“, eum dixiſse teſtatur Seckendorſius l. c. p. 268.

Digitized by Google

ei propagandæ operam navarent ipsique sensum generosum et veritatis cupidum præ se ferrent, omnibus est notum. Fredericus Imus enim ipse inprimis effecit, ut comitiis Othiniensibus, a. 1527 habitis, civibus religionem mutandi et ministris Lutheranis prædicandi potestas data sit, quamobrem rex ipse tutelam suam pollicitus est, ne religionis causa cuidam vis inferretur; posteaque publice edixit, ut doctrina evangelica juxta sacram scripturam et institutionem Lutheri pure traderetur 37). Permisit quoque, ut cantus danici, de quibus supra, inter sacra publica usu reciperentur; et anno 1530, in comitiis regni disputatione inter theologos, ab episcopis Colonia accersitos, et Tausanum cæterosque evangelii ministros habita, a Rege cum ordinibus decretum est, ut utriusque religionis liberum exercitium in regno obtineret, donec concilium generale omnes controversias composuisset 38). — De

37) Seckendorf, l. c. p. 242. — Pontopp. Annal. 2, p. 803.

38) Idem rex a Rönnovio, cum hic Roeskildiæ episcopus factus esset, postulavit, ut promitteret nullum impedimentum reformationi objicere. Malmogiæ, rege permittente, reditus cleri catholici doctoribus evangelicis traditi sunt. Fredericus quoque Tausanum Vi-

Chriſtiano tertio hoc unum dicere ſufficit, cultum catholicum eius juſſu omnino esſe abrogatum; Grammius enim v. cl. in præfatione Annalibus Cragii præmisſa virtutem et ſanctitatem huius regis verbis ſuis egregie et merito ornavit 39).

berga Havniam evocavit. vid. Suhms Saml. til d. danſke Hiſt. 1 B. 2 H. p. 171.

39) Juvat tamen obſervare, quomodo Chriſtianus tertius animo vere paterno ſaluti civium ſuorum ſemper conſuluerit; cumque ſatis intelligeret, quantum religio, honestas morum, et ſcientiarum cultura ad hanc promovendam valeant, id ei inprimis curæ cordique fuit, ut religionem tueretur artesque foveret. Animus vero generoſus et justus huius præclari regis egregie elucet e reſponſo, legatis regnum ipſi deferentibus, dato: a Deo vetitum, reſpondit, ſine legitima vocatione, ſeu vi ſeu dolo imperium regni invadere; itaque regnum, violato gentium jure et oppresſa ſuffragiorum libertate, pesſimo exemplo ſibi ita parare nolle; ſed ſi prius Patribus regni inter ſe de electione convenisſet, tum pariturum ipſorum voluntati et regia officia pro viribus præſtiturum. (Cragii An. p. 21). Præclare ſane cogitatum! Quam humaniter rex idem curaret, ut episcopi catholici, post abrogatam 1536 pontificiam poteſtatem, tot tantisque fruerentur reditibus, ne difficultatibus et penuria premerentur, quis ignorat? — Ad cætera hu-

Digitized by Google

III.

Venio nunc ad conditionem *civium oppidanorum* in patria, qui reformationi maxime addicti fuisse mihi videntur, quique hanc amplexi introducendam eximie juvabant. Ut enim origo urbium, earumque imprimis, quas civitates s. municipia (lingva vernacula Kjøbstæder) vocamus, et vicisfitudines vitæ morumque a mutato hoc modo incolarum statu pendentes,

ius regis in religionem merita quod attinet, satis est nominare Ordinationem ecclesiasticam a. 1557 regis jussu editam, et restauratam eodem anno denuo Universitatem hauniensem. (Ordinationis autem an exemplar illud autographum, danico idiomate conscriptum, cuius mentionem facit Grammius in Præfatione Ann. Crag. vers. dan. p. 157, in usum ipsius Christiani tertii conscriptum esse censendum sit, dubito, cum constet, Christianum lingvam danicam ignorasse, vid. Minerva 1788 Aug. p. 261, latinæ lingvæ vero absque dubio peritum fuisse). — Sed plurima habemus documenta generosi animi et apud exteros suosque æstimationis huius regis (vid. Dan. Bibl. VI. p. 213. Grams Fortale til Krags Annaler, vers. dan. p. 165-8), cui, ut Suhmius (qualis quantusque vir!) pulchre dixit, patria tantum debet, ut sine eo nec veræ religionis nec scientiarum lux nobis affulsisset, et vix imperium regnumque Daniæ stetisset.

Digitized by Google

magni ubivis momenti ad culturam, quam dicunt, humanam promovendam atque augendam fuere, quod præſertim medii ævi tempore notandum; ſic tempore reformationis municipes in patria plurimum omnino præſertim ad hanc promovendam valuerunt. — De origine oppidorum ſ. municipiorum non est cur prolixe loquamur; hoc vero conſtat, ea in Germania non antequam ſeculo decimo orta esſe: Henricus nempe, auceps cognomine dictus, primus in hac terra oppida, arces, et urbes condidit, cum hactenus Germani per agros camposque disperſi habitasſent. Cum vero gentes ſlavonicæ frequentes facerent irruptiones, Henricus decimum quemque ſelegit et in loca munita migrare jusſit, ubi arma tractarent et opificia vel mercaturam exercerent; reliqui agros colentes ingruente bello in oppida et arces munitas ſe reciperent. Spittlerus v. cl. ostendit, in Saxonia et Thuringia tempore Henrici IVti imp., ergo ſub finem ſec. XI, oppida proprie ſic dicenda adhuc non fuisſe 40). Aliquanto prius civitates van-

40) De origine municipiorum in Germania vide præter alios libros: Normanns Geschichte der älteren deutschen National-Verfassung, der Entstehung und Aufnahme deutscher Städte, und der Abkunft ihrer ersten Bewohner. Hamb. 1783. 8.

Digitized by Google

dalicæ, patriæ noſtræ piraticâ postea noxiæ, exſtitisſe videntur, de quibus vero non niſi perpauca ſcimus 41). In Dania oppida jam diu antea nominantur 42), quæ licet municipia ſerioris temporis non æquarent, tamen originem illis dederunt. Quorum originis v. cl. G. L. Baden, in disſertatione de origine et cultura municipiorum in patria 43);

Hegewiſch Allgemeine Ueberſicht der deutſchen Kulturgeſchichte bis zu Maximilian dem erſten. Hamb. 1788. 8. Fiſcher Geſchichte des deutſchen Handels &c. — Pütter (Literatur d. deutſchen Staatsrecht, 3 Th.) omnes fere auctores, qui de origine civitatum in Germania ſcripſerunt, recenſet.

41) Vid. Torfæi trifolium histor. de tribus Daniæ regib. Cap. XII.

42) Othinia v. c., quæ urbs, ſi non originem, ſaltem nomen ab Odino ducit, Viberga, Hothersneſia, Roeskildia, Haitheby, Londinum &c. (G. L. Baden, Bidrag til en Underſøgelſe om Kjøbſtæderne s, Kjøbſtedmagiſtraternes og de eligerede Borgeres Oprindelſe; inſert. diar. Iris og Hebe, Dec. 1797, p. 260). De Randruſia in Jutia ſeptentrionali mentio fit ante tempus Canuti ſancti (vid Suhm, Hiſtorie af Danm. IV, p. 56. 689).

43) Oldtidens og Middelalderens danſke og norſke Kjøbſtæders Oprindelſe, Opkomſt, og Fortjeneſte af Culturen (Ny Minerva Dec. 1807. p. 232)

Digitized by Google

ad quam cæterum lectores ablego, has primarias indicat causas: portus ad piscatum 44) et ad mercaturam 45) idoneos; arces ad piratas abigendos propulſandosque ædificatas 46); loca ad ſacrificia facienda et jus dicendum inſtituta; ædificia denique regibus habitanda pluribus locis exſtructa; quæ omnia efficiebant, ut homines in hæc loca convenirent, domosque ibi exſtruerent, unde oppidum, muro interdum munitum, exſtitit. Talium vero oppidorum primam conditionem de-

cfr. Eiusdem Udkaſt til en Hiſtorie af Danmarks og Norges Handel og Næringsveie. Kh. 1806. 8.

44) Skanör et Falſterbo ut municipia capturâ halecum opulenta nominantur a. 1203 teſte Suhmio (l. c. IX. p. 11); Calundeburga urbs Sialandiæ ante tempus Abſalonis erat vicus, cujus incolæ piscatu victum habebant, Hærvig nominatus; plura exempla exhibet disſertatio Badenii cit.

45) Havnia a portu ad mercaturam apto nomen danicum (Kiøbenhavn) duxit, quamobrem Cranzius eam vocat portum mercatorum, ut Saxo Calundeburgam (Hærvig) exercituum ſinum nominat. — Ædis nomine St. Olai prædita cum in urbe aliqua invenitur, indicare ſolet, mercaturæ nexum illam inter et Norvegiam fuisſe.

46) Unde nomen *ſuburbium*, quod indicat domos extra arcem exædificatas (Suhms Nye Saml. 4, p. 192).

Digitized by Google

ſcripſit Hegewisch l. ſupr. cit. pag. 67. Quomodo vero post introductum Chriſtianismum ſuccrescerent urbes, et partim inſtitutis coenobiis 47), partim reliquiis ſanctorum, quas adoratum ibant peregrinatores religioſi, partim denique conviviis ſ. ſodalitatibus civium, quæ Gildæ nominabantur 48), quarum origo ante chriſtianam religionem apud nos firmatam est quærenda, quarumque legibus (Gildeſkraa) maximam partem ſuperſtructæ ſunt leges municipiorum, optime florerent, omnibus est notum. Leges autem municipales, quarum plures habemus, præſtantiam et auctoritatem municipiorum indicant. Quorum municipiorum incolæ, cives oppidani ſ. municipes (Borgere) vocati, opibus pollentes, ipſi ſibi magiſtratus eligebant, a regibus multifariis modis adjuti; hi enim ſperabant, illorum fidem et opes ſibi contra potentiam nobilitatis et eccleſiæ uſui fore 49).

47) De utilitate coenobiorum ad culturam et terræ et populi promovendam vid. Münter Refſ. 1, p. 119, Baden ll. cc.

48) Kofod Ancher om gamle danſke Gilder. Kh. 1780. 8. Ny Minerva l. c. p 243. Terpageri Ripæ cimbricæ p 425. Münter l. c. 2, p. 273.

49) Suhmius (Hiſt. af Danm. 3, p. 98) indicat, ordinem civium oppidanorum ſec. Xmo ortum eſſe; Tycho Rothe (Nordens Statsſorf. 2, p. 299)

Sequenti tempore magiſtratus a regibus eligebantur 50), et municipia, majora præſertim, pluribus Conſulibus gaudebant 51), qui interdum nobiles erant; quin Ericus Pomeranus, teſte Hvidtfeldo, nobiles in urbes migrare ibique habitare juſſit 52), a quo tempore viri, nobili genere nati, ſæpe magiſtratus urbium gerebant et conſules, conſulares, ſenatores cet. facti ſunt 53). Quæ omnia ut plura

obſervat, oppida nostra ſine ullo auxilio regum primos incolas accepisſe, qui tandem Sec. XIII in partem regiminis venerunt. — De origine magiſtratuum vid. Iris og Hebe l. c. p. 271. Rector urbis ſ. Conſul latinitate medii ævi proconſul vocatur.

50) Privilegio, Roeskildiæ a Chriſtophoro tertio dato, jus Conſules urbis eligendi Rex ſibi reſervavit. Danſke Atlas, 2, p. 336.

51) Iris og Hebe l. c. p. 274.

52) Minerva Dec. 1807. p. 271.

53) Baden, ll. cit. Danſke Mag. 1, p. 20 sq. (ubi documentum inſertum est de cruce magna lapidea juxta viam inter Havniam et Roeskildiam olim ſtratam erecta, quæ Snubbekors vocatur, de qua cruce vid. D. Atlas, cfr. Det kongelige danſke Selſkabs Begyndelſe og Tilvext i de 3 førſte Aar. Kh. 1748. p. 278, No. 171). — Nobiles in municipiis habitasſe et ibi magiſtratus aliaque urbium munera gesſisſe, multa præterea docent exempla. Ao. 1536 Bo Due, „villanus i Holbek," ut vocatur in libr. donat.

indicant auctoritatem et claritatem municipiorum et civium; regesque non sine causa, fidei et amori civium domi ac mi-

monast. Sorens. (Langeb. Scriptores r. d. IV., p. 496), huius urbis incola erat, quem e stirpe nobili Duorum fuisse recte, absque dubio, colligit Suhmius (Hist. af Danm. XI, p. 522), licet in lexico nobilitatis danicæ (D. Adels Lex. p. 125-6, ubi de hac familia) non nominetur. Infelix ille Olaus Geed tempore Christiani primi domum in urbe Landiscorona sitam possidebat (D. Mag. 1, p. 265). Othiniæ adhuc domus aliquæ in platea Norregade dicta inveniuntur, quarum supra januas arma s. insignia nobilium conspiciuntur, habitaculum nobilis alicuius viri indicantia. Consulem Helsingoræ inter nobiles receptum esse, vid. Mag. til d. danske Adelshist. p. 3; eandemque urbem a. 1458 duos consules, quorum unus nobilis erat habuisse, vid. Peder Oxes Levnet ved Ryge, p. 12. Ao. 1472 „Niels Bruun Væbnere" erat consul Nestvediensis; Ao. 1479 „Jacob Clavesen armiger" erat consul havniensis; vocabula vero autem hæc: Velbyrdige, Vor Mand, Ridder, Væbnere, nomini alicuius viri in documentis illorum temporum addita, nobilem semper indicant. Consules et magistratus urbium quoque comitiis regni adfuisse, notum est. — Civibus ipsis ea sententia arrisisse videtur, oportere, nobiles quosdam in senatu urbis locum obtinere; id quod patet e veteri proverbio, quod versu antiquo germanico expressum protulit v. cl. Schmettau (Kleine Schriften, 2, p. 547).

Digitized by Google

litiæ confisos fuisse, satis patet e literis Erici Menved civibus Hauniæ a. d. VII Jd. Jan. 1294 datis, quæ apud Suhmium inveniuntur 54). Nil igitur mirum, si municipia nostra præcipue sub finem medii ævi, cum et leges Christierni secundi, licet non diu valentes, libertatem non minus quam commercium municipiorum adjuvassent, et jugum ipsis ab hanseaticis civitatibus impositum maximam partem excussum esset, satis fortunata satisque pollentia et divitiis prædita viderentur, et tempore reformationis inprimis ita floruisse inveniantur, ut talia opulentiæ, fortitudinis, ac magnitudinis 55)

54) Suhm Hist. af D. XI, p. 872-3: „Borgere udi Kjobenhaffn throeligen lade dennem finde och bruge udi Wort Thjenneste, och haffe hertil dags tit och offte Wore och Rigens Fiender Skarpeligen anstormit och affnendt, och dertil med loffuit och tilsagt at ville herefter samme Fiender Skadelige Andfald aff deris yderste magt og formue mandeligen affuerge och emodstaae" &c. — Nobiles interdum dominos urbis alicuius se vocarunt, vid. ex. gr. Hvidtfeldum, Kong Hansis Krønike (editionem in 4to) p. 246: „Hr. Niels Ericksson til Kolding, Ridder" &c.; forsitan quia urbs interdum in fundo sitaverat, qui ad prædium aliquod nobile pertinebat vel antea in possessione nobilium fuerat.

55) Plurimæ urbes moenibus et turribus erant

Digitized by Google

præ ſe ferant indicia, qualia in multis municipiis nostri temporis fruſtra forſitan esſent quærenda.

In cuius rei documentum videamus, ſi placet, teſtimonia quædam historica, e quibus patebit, quantâ opulentia urbes, quantâ vi cives tunc temporis gauderent. — Magnitudinem urbium ſi ſpectas, attendas velim præter alia numerum templorum, quæ ibi erant et ſarta tecta ſervabantur 56), numerum incolarum teſtantia; ſic v. c. Roeskildia, teſte Lyſcandro, dum ſtaret valida, viginti ſeptem exhibuit templa augustiora 57), Othinia decem templis gaudebat 58), Slesvicus ſeptendecim, Viberga viginti uno 59), Arhuſia novem, Ripæ cimbricæ quatuordecim, Helſingora quinque 60),

munitæ; ut Asnesia a. 1534, Vedel Simonſen, Fyens Vilkaar i Grevens Feide, p. 61.

56) Pont. Ann. 2, p. 311.

57) Meyer Beſkr. over Roeskilde p. 26.

58) Aliud teſtimonium magnitudinis et vetuſtatis Othiniæ præbere mihi videntur *arenariæ*, quæ plurimæ inveniuntur, extra portam occidentalem, juxta novum coemeterium effosſæ, unde incolæ antehac arenam effoderunt, quæ tantum campi ſpatium explent, ut longisſima annorum ſerie uſui incolarum inſerviiſſe videantur.

59) Erikſen, Viborgs Beſkriv. p. 22 sqq.

60) Boeſen Helſing. Beſkr. p. 298.

Digitized by Google

&c. — Fortitudinem vero et auctoritatem multa indicant. Quanta erat virtus fidesque civibus illis hauniensibus, qui ut fidem Christierno secundo debitam servarent, duas obsidiones, alteram octo mensium, alteram integri anni, perpeti non pigrabantur! 61) Licet enim Fredericus primus ex arce Gottorf ad magistratum et senatores Havniæ scriberet, ut jusjurandum sibi darent, isque polliceretur, se privilegia eorum confirmaturum, hi tamen, Christierno secundo jurejurando se esse obstrictos, intrepida mente responderunt. Cum vero urbs tandem Frederico se dederet; in conditionibus deditionis constituendis rex civium commodis haud parum consuluit 62). Sed auctoritas magistratuum etiam conspicua erat. Sic e. gr. cum conventus Havniæ a Christophoro comite (a. 1534 indicti essent, ibique nobiles cimelia uxorum ad bellum gerendum dare recusarent, Georgius, cognomine. Monetarius et Ambrosius, cognomine Bibliopegus, consules

61) Hvidtfeld (editio in folio) p. 1254. 1480.

62) Sic enim, inter alia, constitutum est: „Borgemestere skal opgiffue Kiøbenhaffns Stad oc dem antvorde i Danmarckis Raads hænder"; et porro: „hues befestis skal fremdelis paa Byen, det skal stande til Borgemestere, Raads, oc menighedsens tocke." Hvidtf. p. 1259. 1261.

Digitized by Google

potentes et imperiosi, ad arcem statim properabant, et omnia dura comminantes, ut, qui recusarent, in vincula mox conjicerentur, postulabant; quod tantum timorem nobilibus injecit, ut vix in publicum prodire auderent, et anno sequenti non nisi metu coacti ad judicium provinciale Sialandiæ convenirent 63). — Quid dicemus de facto illo civium Randrusiæ, qui librum Pauli Eliæ contra Lutheranos, consulibus et senatui urbis adscriptum, palo, ad quem homines malefici sceleratique flagris cædi solebant, affigere auderent? 64) Moris enim fuit Tausano ceterisque Lutheranismi doctoribus, quod et Paulo Eliæ ceterisque adversariis solitum, scripta sua edita, in quibus dogmata religionis proposita et defensa erant, magistratui et civibus alicuius urbis, Havniæ v. c., Malmogiæ, cet. dedicare, quo cives quodammodo judices inter ipsos et adversarios facti sunt; quin et Senatus regni a. 1533 literas incolis dioeceseos arhusiensis dedit 65). — Quantum vero cives et magistratus oppidani eo tempore valerent,

63) Holb. Danm. Hist. (ed. in 4. 1753), p. 294. 314.

64) Hvidtf. Fredr. 1s Kronike (ed. in 4.) p. 188.

65) Münter Refh. 2, p. 220. cfr. 145.

Digitized by Google

indicabat etiam bellum illud lubecense, quod et bellum Christophori comitis (dan. Grevens Feide) appellatur; hoc enim bello sæpe factum est, ut municipes, nobilium odio ardentes, licet parva manu optimo tamen successu castella expugnarent, arces urbesque munitas caperent; nec ab alio ordine tanta fortitudo tunc declarata est; cuius rei exempla proferam. Malmogiæ cives arcem a 1534 occupavere, et Georgius Monetarius, consul, ipsum Gyldenstjernium præfectum arcis cepit 66); pari successu cives urbis Stege vocatæ arcem subito incursu ceperunt 67). Eodem tempore cives Haunienses per Sialandiam proficiscentes multas arces nobilium oppugnavere 68). Cives municipii Skielskör dicti arcem Crucisoræ subito ceperunt, et pari modo castellum Tranekær, munitissimum Langelandiæ, captum est. In Fionia arx Neoburgi a civibus urbis occupata est. Quibus rebus auditis, cum nobilitas Fioniæ ad Christianum tertium regem eligendum convenire deberent, in æde parochiæ Helleső conventum habuere, quum Othi-

66) Hvidtf. (ed. in fol.) p. 1418. Krag Kristian 3 Hist. (vers. dan.) p. 49. cfr. p. 154-5.

67) Hvidtf. p. 1420.

68) Hvidtf. p. 1421.

Digitized by Google

niam proficisci metu civium non auderent 69). Cives Svenoburgi oppidi dein Örkel, castrum prope ab urbe situm oppugnavere, captumque diripuerunt et incenderunt Quo facto hi, cum civibus Othiniensibus conjuncti, palatium episcopi Othiniæ, porta pice et sulphure obducta et deinde incensa, patefactum diripiebant; quin occupata æde Albani, ea simul cum palatio usi sunt propugnaculo, unde e tormentis suis pilas ejaculabantur, multis interfectis et sauciis, qui arma contra feri e ausi erant. Eodem tumultu castellum munitissimum Næsbyhoved prope Othiniam vi expugnatum est et eversum. Coenobium virginum devotarum, Dalum Kloster vocatum, sartor quidam othiniensis, catervæ civium dux, evastavit; arcem regiam veterem Hagenskov Johannes Lundius, agricola quidam, cum comitatu suo aggressus, cepit. Complura item coenobia et nobilium prædia direpta, cremata, et vastata sunt 70). Multi præterea cives ex oppidis in exercitu lubecensi militiam sunt secuti 71); nec minus cives Alburgi

69) Hvidtf. p. 1424.

70) Cragii Annales p. 59. — Vedel Simonsen Borgruiner 1 H. p. 44. 89. — Hvidtf. p. 1428. — Suhm Hist. af D. IX, p. 732.

71) Hvidtf. p. 1444.

Digitized by Google

tumultus a Clemente nauta, ut nominatur, excitati participes erant. Quæ omnia fortitudinis civium ſunt teſtimonia manifesta 72).

Ut vero opulentia ac fortitudo municipiorum civiumque, ſic quoque cultura horum inſignis et reformationi commoda erat; quæ igitur in ſectione ſecunda de indole nationis generaliter expoſuimus, hîc inprimis valent, quoniam ordo civium præter alios animum generoſum et veri amore imbutum exhibuit. Sine dubio Gildæ ſic dictæ, de quibus ſupra, non ſolum vitam moresque civium oppidanorum pluribus modis excoluerant, verum

72) Hoc loco notandum est, bellum lubecenſe id commode effecisſe, ut catholici impedirentur, quo minus reformationi ſumma vi reſiſterent; id quod, providentia divina ſic moderante, tanto commodius accidit, cum catholici pluribus modis oſtenderent, tempore interregni ad lutheranismum reprimendum ſe uti velle. Lubet obſervare, pari modo Carolum V imp. multis bellis ſuis aliisque impedimentis a ſtudio ſuo Lutherum opprimendi ſemper detentum et abstractum esſe. — Cæteroquin urbes et municipia in patria bello lubecenſi non parum ſunt exhauſta (v. Krag, Krist. 36 Hist. 1, p. 97. Vedel Simonſen Grevens Feide p. 82. Hvidtf. Krist. 36 Kron., ed. in 4. p. 112); verum hæc res nihil ad progresſum reformationis impediendum fecit.

etiam ſensum quendam ſodalitatis (esprit de corps) aluerant, idque tanto magis, cum hæ ſodalitates, divitiis inſignes, et inprimis eæ, quæ regiæ dicebantur, privilegiis ac juribus præſtantibus gauderent. Id ſaltem conſtat, civibus animi vigorem et ſensus elatos fuisſe, quamobrem maximo ardore puriorem doctrinam ſunt amplexi, quæ vicisſim, quid efficere posſit, in civibus præclaro modo ostendit. Quantopere enim ordo civium, in omnibus terris, ubi evangelica doctrina introducta atque firmata est, per eam ſit evectus, nisi ipſe hanc rem comperisſes, vix crederes 73). Nec immerito periodus, ſpatium trium fere ſeculorum complectens, a reformatione Lutheri ad revolutionem, quam dicunt, franco-gallicam apud auctores quosdam historicos a civium ordine nomen duxit, quippe quod cives, ſumma pietate et Dei reverentia, morum integritate, religionis atque ſcientiarum amore ſingulari modo eminuerint, ita ut ex eorum ordine magna ex parte optimi et melioris frugis viri exorirentur, quorum maximopere interfuit

73) Operæ pretium foret comparationem inter ſtatum civium in patria et in aliis terris inprimis Germania boreali, qualis initio ſec. XVI esſet, inſtituere. Cum autem hæc res longius nos ab incepto abduceret, ad aliud tempus eam differimus.

Digitized by Google

artes ſcientiasque colere easque in Dei honorem et patriæ ſalutem convertere; quo factum est, ut per hoc temporis ſpatium plurimi eorum, qui in muneribus ſive civilibus ſive eccleſiaſticis excellerent, virorum non ut antea nobili, ſed civili at honesto loco esſent nati. Quod vix ita factum eſſet, niſi civibus jam eo tempore, quo doctrina Lutherana traderetur, talis animi indoles fuisſet, ut religionem cupide amplecterentur et intime amarent 74). Tales vero fructus ardor civium nullibi lætiores tulit quam in patria nostra. Quamobrem auctor ſagacisſimus et doct. Münterus 75) obſervat, populum danicum maiori quam alium quemcunque ſtudio a partibus evangelii ſtetisſe, nec dubitat adjicere, niſi populus ipſe novæ doctrinæ adeo favisſet, Fredericum primum, ut reformatio in Dania prædicaretur et ſacrorum habendorum libertas in comitiis Othinienſibus evangelicis concederetur, efficere nequivisſe; et Badenius, v. cl. eodem ſenſu obſervat, municipia in hac rerum mutatione priores

74) Münter Ref. H. 1, 465: „Naturligvis maatte den største Oplysning gaae ud fra Stæderne; men Øieblikket var nu og kommet, da i dem mange og lærde Mænd, som for en Del havde øst deres Kundskab af Kilden selv i Wittenberg, fremstode, og med største Mod angrebe Pavedømmet.“

75) Ref. Hist. 1, p. 514.

Digitized by Google

partes egisſe 76). Quis vero de veritate harum ſententiarum dubitet, cui manifestum est, quanto ſtudio cives oppidani reformationi ſuccurrerent. Nam qui primi Lutheranismo deditos ſe præbebant et ei aſsentiebantur, qui primi Vitebergam, ut veram doctrinam penitus cognoscerent, iter faciebant, qui primi in patria operam navabant, ut religio omnibus cognita et accepta foret, homines e civili ordine oriundi fuere; ita ut cives oppidani præ ceteris regni incolis religionis et ſcientiarum amorem declararent. Nec ullibi maius quam in hoc ordine apparuit ſtudium artium cultores alendi et ſustinendi, quod ſensu adeo amabili ſe ostendit, ut plerique nihil præclarius aut Deo acceptius ſibi fingere posſent, quam ut filium aliquem literis darent, aut, ſi hoc ipſis minus contigisſet, ſaltem alium quemcunque, dum artibus operam navaret, ſuſtinerent et juvarent. Eodemque in artes ſcientiasque, e quibus univerſo humano generi tot tantaque bona redun-

76) Ny Minerva, Dec. 1807, p. 276: „Til tvende iſær meget vigtige Forandringer have vore danſke Stæders Indvaanere bidraget ſaa meget, at Forandringerne uden dem enten ikke ſkulde været foregaaede eller dog ikke været ſaaledes udførte ſom de udførtes. Den ene af diſſe var den i Aaret 1536 fuldførte Religionsreformation; den anden var Regjeringsforandringen, ſom foregik 1660.

dant, amore liberalitatem ſuam etiam in posteros extenderunt, quod Univerſitas nostra, alma ſcientiarum mater, quod ſcholæ, in quibus fundamenta ſolidioris eruditionis jaciuntur, pietate majorum opibus locupletatæ, grata memoria teſtantur 77). Quæ cogitandi ratio non in uno et altero ſolum est reperta, ſed ſæpe posteris quaſi hæreditate a majoribus ita relicta, ut post reformationem totas inveniamus familias, generis ſi non nobilis ſaltem honeſti, quarum multi, per longam annorum ſeriem, religioni et literis ſe dederunt, et in muneribus vel civilibus vel eccleſiaſticis patriam ornarunt,

77) „Qua liberalitate per trium fere ſeculorum decurſum ad civitatis commodum atque ornamentum, quid ſit effectum, neminem, qui in annalibus nostris haud plane hospes ſit, facile latebit." Verba ſunt viri ampliſſ. et doctiſſ. C. Engelstoftii, qui in oratione ſua: Om den academiſke Borgerſtands Betydning, Hæder og Pligter (Kh. 1809) eloquentiâ non minus quam ſubtilitate de hac majorum in artium cultores liberalitate egit; vid. pag. 56, 62. &c. Lubet conferre Eiusd. Univerſitets- og Skole-Annaler 1812, ubi de legatis Univerſitatis Havnienſis, et quæ v. cl. hac occaſione obſervavit p. 233 sqq. — Petrum Palladium, Ripis tenui loco natum, dum, ut literas coleret, in Univerſitate Vitebergenſi moraretur, vidua conſulis cuiusdam et filius eius pecunia ſuſtentarunt.

Digitized by Google

interdum ſcriptis editis inſuper clarisſimi; quorum ut aliquos nominem, quis est, qui non noverit præclara illa nomina: Bartholin — Baden — Bang — Brochmand — Bircherod — Bornemann — Egede — Fuiren — Foſs — Finke — Grundtvig — Gerner — Horrebov — Jacobæus — Kall — Mule — Munthe — Paludan — Pontoppidan — Saxtorph — Sadolin — Seidelin — Svaning — Thura — Theſtrup — Treschow — Wandall — Winding — Winslöw — Worm — cet. cet., quæ ut fulgentia ſidera in hiſtoria nostra vel literaria vel eccleſiaſtica nominibus multarum nobilium familiarum prælucent.

Verum ut inter incolas municipiorum progresſus faceret religio reformata etiam alia quædam, conjunctim cum cultura civium, fecerunt, quæ igitur hoc loco non ſunt prætereunda; inter quæ cum primum locum *arti typographicæ* asſigno, vix erro. Hæc enim ars, non ita multo ante, regnante Johanne rege, apud nos introducta, id effecit, ut notitia verbi divini, cum et Biblia ſacra et alii libri argumenti religioſi mox inprimerentur, ad omnes eos incolas ſpargerentur, qui librum impresſum legere ac intelligere posſent et cuperent. Civibus vero oppidanis hæc inventio inprimis commoda et accepta fuit, quippe qui in

Digitized by Google

Bibliis et libris asceticis ut etiam histori- cis pabulum quoddam ingenii et animi diu desideratum acciperent. Reformatio- ne autem legendi tanta cupido civium animos incessit, ut, quod doct. Münterus solita sagacitate jam observavit 78), nova et florentissima exinde incipiat periodus lingvæ nostræ et cuivis scribendi generi. Quo tempore reformatio incipiebat, offi- cinæ typographicæ in quibusdam regni urbibus jam erant, saltem Havniæ, Mal- mogiæ, Roeskildiæ et Arhusiæ. Quorum officinarum aliæ ita erant institutæ, ut eodem loco semper permanerent, aliæ vero portatoriæ, quibuscum per urbes migrabant vel quodammodo ambulaban- tur possessores, ut libros vel hoc vel illo loco imprimerent. Ita jam M. Johannes Urne, præpositus Othiniensis, qui obiit haud dubie ao. 1504, maximis impensis libros inprimendos curaverat, qui verisi- militer institutioni juventutis scholasticæ et pietati apud plebem juvandæ desti- nati erant 79). Idem vir, honorifica me- moria colendus, ingentem summam 50,054 Marcarum ob libros impressos Simoni Brandt s. Brandis 80), typogra-

78) Ref. Hist. I, p. 267.

79) D. Mag. I, p. 299. E testamento ipsius pa- tet, eum quoque libros haud paucos posse- disse.

80) Qui officinam ambulatoriam v. portatilem

pho, debitam ſolvit. — Scimus præterea, tempore reformationis (quod et ſupra notatum est) plerosque libros de rebus ad religionem pertinentibus, quos edidere vel Tauſanus, Christiernus Petri, cet. ab altera, vel Paulus Eliæ cet. ab altera parte, Havniæ et in aliis regni urbibus esſe impresſos 81). Nec dubitandum est, quin incolæ harum urbium libros, interdum ſibi ipſis dedicatos, diligenter legerint, eorumque ope novos progresſus in notitia de rebus divinis et de differentia doctrinæ lutheranæ et catholicæ fecerint.

Alio adhuc modo notitia religionis reformatæ inter incolas urbium patriæ noſtræ pervulgata est, nempe ope *mercaturæ*, quæ hac ratione plus valuit, quam primo fortasſe adſpectu videbitur. Commercium enim ubicunque floruit, fere ſemper et apud omnes nationes effecit, ut intelligentiæ vires, pluribus modis commotæ, excitarentur et excolerentur, ut porro propter nexum mercaturæ inter nationes ideæ ac notiones facillime divulgari et ut ita dicam commutari ſolerent, ut deni-

Othiniæ habuisſe videtur; dicitur enim: „ſom forneſſnde Simon Brandt og hans Medſelgere" (ɔ: Svende, operæ) havde trykt.

81) Pont. Ann. 2, p. 884, 888. cfr. Nyerup Bogtr. Hiſt. — Plures libros danicos ante reformationem Pariſiis impresſos esſe, jam obſervavimus.

Digitized by Google

que libertas quædam in ratione cogitandi et agendi, aliorum opiniones ſibi obtrudi haud patiens et lege dictatoria coerceri nesciens, inter incolas mercaturæ operam navantes naſceretur: quas ob cauſas nationes, quæ indulgebant commercio, antiquis præſertim temporibus, culturæ humanæ haud parum profuerunt 82). Ut hoc quoque de patria nostra valet, ſic præſertim ad nexum, commercii cauſa inter nos Germaniamque et alias Europæ terras exſtantem, in historia reformationis attendamus oportet, quippe qui triplicem fructum tulerit; primum quod fama de Luthero et factis eius, de nova doctrina et præcipuis eius dogmatibus, per mercatores nautasque, Germaniam inter et Daniam iter facientes, ſtatim divulgaretur; deinde quod libri editi Lutheri aliorumque reformatorum, verſiones ſacræ ſcripturæ, cet., eadem occaſione introductæ facillime ad notitiam civium pervenirent 83); denique quod

82) Quod de civitatibus antiquitatis egregie explicavit v. cl. Heeren, in libro eximio: Ideen üb. d. Verkehr &c. d. alt Völker. — Mercaturam vero, ſtudio lucri inde excitato, ſæpius quoque humanæ virtuti peſtiferam fuisſe, hoc loco non negamus.

83) Libros hæreticos ſ. lutheranos e Germania ad nos importatos esſe, manifesto patet ex illo „Concluſo Senatorum regni Daniæ ecce aſti-

Digitized by Google

cursu maritimo inter has terras usi, evangelii primi in patria doctores libros haud paucos danicos apud exteros v. c. Antverpiæ, Rostochiæ, Lipsiæ, Magdeburgi &c. imprimendos curarent 84), cum officinæ in patria verisimiliter haud sufficerent, qui libri postea navibus mercatoriis huc introducebantur. Cumque nil hominum saluti magis expediat, quam ut notiones veri ac recti libere et expedite

corum et secularium contra doctrinam Lutheri", a. 1524 facto, quod historiæ suæ de reformatione in patria adiunxit Münterus, Ref. H. 1, p. 526 sqq. Sic enim inter alia dicitur: „at hands Naade ikke vill eller schall stede samme Kettherii Luthers bøger eller diigte hemmelig eller obenbare prædikes, læres, eller hans bøger selges her i Danmarcks rige"; et porro: „at Konning Christiern schall ladet nu prentet nogle tusvnde bøger paa Danisch moell af alle the Kietterlige stückæ og article, som Luther prædicerer." — l. c. p. 528.

84) Sic v. c. *Lipsiæ* typis Lotteri prodiit (1524) versio N. T. Johannis Michaelis (Henderson l. c. p. 4); versio Pentateuchi auctore Tausano in publicum emissa est *Magdeburgi*, ubi et alii libri danici prodiere (Münter Refh. 2, 181); *Rostochiæ* erat officina, in qua plurimi libri danici, inter quos versio Psalmorum Vormordi, impressi sunt (l. c. 2, 21); pleraque autem scripta Christierni Petri, inter alia versio eius Psalmorum, quæ prodiit 1531, *Antverpiæ* sunt edita (ib. 2, 206).

Digitized by Google

inter homines communicentur, quam opportune mercatura in parte Europæ ſeptentrionali tum floreret, facillime intelligitur. Invenimus igitur, urbes mercatorias plerasque reformationem prius novisſe et amplexas fuisſe, idque tanto magis, cum incolæ harum urbium, quæ in Germania inprimis ut civitates liberæ magiſtratus ſolius imperio parebant, dites et ſui juris, nulli exterorum imperio obnoxii esſent 85). Quamobrem in civitatibus hanſeaticis, in urbibus Bataviæ, in municipiis quibusdam patriæ, ut et Bergis in Norvegia, reformatio, ſtatim nota, brevi introducta est; quod quam celeriter fieret, exinde quoque patet, quod Guſtavus Vaſa, primus Sueciæ post Unionem ruptam rex, jam a. 1519 Lubecæ doctrinam Lutheri didicisſet 86). — Commercio, quod inter Bataviam et Daniam erat, quoque factum est, ut Franciscus Vormordus, Amſtelodami natus, in Daniam veniret, ubi a puero educatus et literas edoctus inclytisſimus evaſit evangelii prædicator. — Unde ſatis perſpicitur, mercaturam pluribus modis progresſum reformationis inter cives urbanos in pa-

85) „Noch waren die Zeiten, wo eine einzelne Stadt wie Magdeburg der ganzen Macht des Kaisers trotzen konnte.“ Heeren, Gesch. der europäisch. Staatensyst. Gött. 1809. p. 67.

86) Seckendorff l. c.

Digitized by Google

tria adjuvasſe. — Hæc vero commercia, quæ inter emporia Daniæ et Germaniæ, e re incolarum, fuisſe jam vidimus, tanto magis locum habere, et reformationi quoque utilia evadere poterant, cum jam a priscis inde temporibus cives e gente germanica oriundi mercandi cauſa ad urbes nostras habitatum venisſent ibique ſedem fixisſent. Quam connexionem municipiorum noſtrorum cum civitatibus Germaniæ mercaturâ florentibus, hanſeaticis præſertim, noſtratibus utilem et culturæ civium ſalutarem fuisſe, recte ſtatuere posſe videmur 87); licet opibus pecuniisque municipiorum noſtrorum commercio hanſeatico parum proſpectum esſet 88). Fuere igitur inter incolas municipiorum natione germani, qui honores et magiſtratus conſequerentur et muneribus urbium fungerentur. Neoburgi a. 1534 erat conſul germanicus, nomine Erasmus Roſtochius, qui urbem copiis Chriſtophori comitis prodidit 89). Quid Georgius Coccius et Ambroſius Bibliopegus, quorum hic Haunienſis, ille Malmo-

87) cfr. Münter Refh. 1, p. 173.

88) cfr. Nielſen Om de ſkadelige Følger af Hanſeſtæders Handel for Danm. og Norge; in: Engelstoft, Univ. og Sk. Annal. 1802. 2 Bd.

89) Suhm, Saml. t. d. danſke Hiſt. 1 B. 1 H. p. 74. — Vedel Simonſen, Grevens Feide, p. 30.

Digitized by Google

gienſis conſul, uterque e natione Germanica 90), in urbibus ſuis pollerent, nemo ignorat. — Cum vero et magiſtratuum, et civium, et nobilium quoque incolarum municipiorum intereſſet, ut reformatio vinceret, eam tanto magis progredi neceſſe erat, cum nexus quoque mercatorum danicorum cum lubecenſibus prosperos daret ſucceſſus 91). — Quibus rebus perpenſis, reformatam religionem civibus oppidanis non potuiſſe non curæ cordique eſſe, quisque facile intelliget 92). Et ſane ad-

90) Holberg Danm. Hiſt. 2, p. 283.

91) Quo modo Lubecenſes re vera de Daniæ rebus cogitarent, e verbis Cragii (Ann. p. 30) ſatis patet: „Religionem reformatam, inquit, amplexi (Lubecenſes), eam propagatam vel hoc nomine voluere, ut antiſtitibus in Dania ægre facerent, quorum auctoritate et conſilio *res Belgarum* niti videbantur.“

92) Huc accedebat, quod, quæ civium erat cultura ac humanitas, non ſolum pretium religionis reformatæ, verum et ſuperſtitionem doctrinæ papiſticæ, et improbam clericorum vitam intelligere ſcirent et rectâ penſare trutina; ne loquar de aliis emolumentis, quæ, mutatione religionis facta, ad municipia redundarent, v. c. ut Gildæ, coenobia, prælaturæ, templa, ad partem ſaltem, interirent, quorum bona in uſum municipiorum cederent. Leges Chriſtierni ſecundi id quoque effecerant, ut cives et de jurisdictione, et de mercatura, ab eccleſiaſticis exercita, pluribus modis rec-

Digitized by Google

mirandus in omnibus fere municipiis nostris fuit civium ardor, quô ſanam doctrinam amplexi, eam mox prædicari voluere, adeo ut reformatio ubivis fere in municipia esſet introducta, quibusdam in locis longe ante annum 1536, quo Chriſtianus tertius, disſipatis omnino tenebris pontificiis, doctrinam evangelicam unice doceri jusſit. Quod, per partes eundo et initium reformationis in opulentisſimo quoque municipio commemorando, quam brevisſime potero, oſtendam. — *Havniæ* jam 1519 evangelium prædicaverat Reinhardus, a Chriſtierno ſecundo huc evocatus; puriores quoque notiones inter conſules, Senatores, ceterosque urbis incolas, quos fere omnes reformationi favisſe conſtat, ſensim ſenſimque esſe pervulgatas, patet e verbis pactionis de ædificiis quibusdam civibus tradendis a. 1524 a capitulo Haunienſi cum conſulibus et ſenatu urbis factæ 93);

tius judicarent. Vetus enim proverbium, „ſub lituo episcopali bene morari", tempore medii ævi quidem valebat, verum municipes, a quo tempore vires eorum ſuccrescere coeperant, ſui juris esſe ſatius ducebant. — Sed plura de his infra.

93) „paa det de herefſter ſkulle være den hellige Kircke og hendis Perſoner diß villigere oc bevise dennem gott Venſkaff oc Naboſkaff, oc imodſtaa Luthers Ketteri og Vildfarelſe." — Hvidtf. p. 1273.

unde videmus, quousque reformata doctrina, paucis abhinc annis disſeminata, jam esſet progreſſa, et quanta auctoritas ordinis civilis exiſtimaretur, quoniam capitulum talem conditionem adjicere necesſarium duxisſet. Cum Joh. Tauſanus 1529 Havniam venisſet, ut verbum divinum, jusſu Frederici 1mi, in æde St. Nicolai exponeret, magna audientium coronâ cinctus conciones ſuas ibi habuit; pſalmi quoque vernacula lingva cantati ſunt. Nota est iconomachia a 1531 Havniæ facta, cum tertio die feſti nativitatis Chriſti cives multi, quorum nomina quædam, opificium vel ceterum vitæ genus indicantia 94), ſcripta exſtant, ſub auſpiciis Ambroſii Bibliopegi, conſulis, irruptione in ædem Divæ Virginis facta, icones ſ. ſtatuas ſanctorum (ut dicuntur) proſternerent. Quomodo autem hi cives, qui „cum verbo Dei victuros ſe aut morituros" juraverant, re vera de reformatione ſentirent, cum periculum Tauſano a. 1533 impenderet, amor eorum teſtatus est. Cum enim episcopi catholici, mortuo Frederico 1mo, inter comitia

94) Habet unus nomen nautæ, alius pistoris, alius figuli, alius vascularii, cet. vid. Pontopp. Or. Haun. p. 215. Eiusd. Annal e d. 2, p. 857. Suhms Samlinger 1 B. 2 H. p. 172. Chronicon Skibbyenſe (l. c.) habet adhuc Conradum quendam cognomine Kiöckinſitt.

Digitized by Google

Hauniensia eodem anno indicta, de pontificia doctrina revocanda et lutherana labefactanda cogitarent, eosque, qui evangelicam doctrinam amplexati essent, anathemate percellere jam minitarentur, Tausanum propter nova quæ docuerat dogmata in jus vocarunt; cives vero Haunienses, mox captis armis, forum tumultu et clamoribus implevere, Tausanum sibi restitutum flagitantes, adjectis minis, impune se non laturos, si secus factum esset. Quo facto Tausanus, munere docendi ab episcopis remotus, interveniente viro nobilissimo M. Giöe iterum est restitutus, cautione de vitæ securitate ipsi data 95). — *Husumi* reformatio jam 1521 est introducta, Hermanno Tastio evangelicam doctrinam prædicante. — *Vibergæ* cum jam Tausanus, Theocarus (Broder Thøger), S. Skonningius publice privatimque dogmata Lutheri explicassent; Georgio Jani cognomine Sadolin a Frederico primo 1526 permissum est novam doctrinam publice tradere et juventutem in schola publica, quæ prima evan-

95) Fusius hæc narrat Cragius (Ann. p. 16 sqq.). Tausani mens placabilis et generosa hac occasione in Rönnovium hostem declarata, locum honorificum illi meruit in egregia collectione Mallingii nostri: Store og gode Handlinger p. 337.

Digitized by Google

gelica erat, instituere 96); eodemque anno Ovenus Bilde, episcopus Arhusiensis, (vir cæteroquin venerandus et meritissimus, cuius debitam et honorificam mentionem fecit v. cl. et ampl. Mallingius in collectione bene et generose factorum Danorum), epistolâ ad cives urbis scripta eos de hæretica doctrina Simonis Skonningii admonere, ne erroribus implicarentur, haud alienum duxit 97); unde satis apparet, quam cara civibus hæc doctrina fuerit; quamque celeriter pervulgata sit, e verbis chronici Skibb: „initio anni 1526 per totam Cimbriam jam serpebat virus lutheranicæ factionis" intelligere licet. A. 1528 Tausanum e coenobio expulsum, cives receperunt, eumque publice prædicare voluerunt; quod cum Georgius Friis, episcopus Vibergensis, prohibere conaretur, cives armati ad eum audiendum convenerunt, ac ne equites episcopi irruptionem in ipsos inter sacra facerent, catenis ferreis vias præcluserunt 98). Quod factum civium, ut elati animi testimonium, non possumus quin admiremur. Quamobrem episcopus arcem suam Hald, prope ur-

96) Hvidtf. p. 1295.

97) Suhms Nye Saml. 3, p. 285. Pont. Ann. 2, p. 791.

98) Danske Atlas IV, p. 157.

Digitized by Google

bem ſitam, munivit, metuens, ne cives eam de improviſo invaderent; et literis ad regem datis queſtus est, quod cives Vibergenſes 99) æde cathedrali 100) esſent potiti, et ſacerdote catholico expulſo, armati convenisſent, quasi auctoritati episcopali vi et armis reluctaturi. Quin episcopus idem in arce Hald carcerem, quo Hegelundium, Conſulem Vibergenſem, qui progresſui reformationis pluribus modis ſubvenerat, cuſtodia coerceret, inſtituendum curaverat; ſed cum omnes episcopi pontificii a. 1536 ad breve tempus in vincula conjicerentur, ipſe eodem carcere est incluſus, civesque Vibergenſes puerum a janua arcis bene munitæ interfecerunt 101). Quid? quod ſacerdotes proteſtantici Vibergæ catholicos quosdam, qui a misſa legenda abstinere noluerunt, annuentibus civibus urbis, excommunicavere 102). Adeo brevi tempore mutata rerum facies. *Randruſia*

99) „diſſe Borghere her udi Vyborg".

100) Ædis cathedralis Vibergenſis una e ſeptem primariis regni templis vocatur. Ny D. Mag. 2, p. 204.

101) Danſke Atlas IV, p. 607.

102) vide: Münter Refh. 2. p. 83. 125. 131. — Cæterum ad hiſtoriam reſormatæ Vibergenſis eccleſiæ documenta aliqua hactenus inedita in appendice hiſt. ref. imprimenda curavit Münterus noſter. (2, p. 709 sqq.)

Digitized by Google

post Vibergam prima fuit civitatum in Cimbria septentrionali, quarum incolæ animum mentemque ad doctrinam Lutheri converterunt 103). Jam anno 1527 Henningius Balzeri, qui Vitebergæ sub Luthero theologiæ operam dederat, evangelium docere incepit; quamobrem cum a clero catholico variis modis affligeretur, Fredericus primus, deprecantibus civibus, literis datis verbum divinum juxta scripturam sacram docere ei permisit; posteaque præclarus hic vir primus sacerdos evangelicus ad ædem St. Martini Randrusiæ factus est. Purior vero doctrina quam cito se in hac urbe propagarit, concludere licet e contemtu, quo acceptus est liber Pauli Eliæ, quem, ut supra narratum, per carnificem infelici arbori 104) affigi jussit magistratus Nicolaus Hammer tunc temporis Consul urbis erat. — *Malmogiæ*, cum Franciscus Vormordi aliquanto prius evangelicam rationem explicasset, Nicolaus Vascula-

103) Galthen Randr. Beskr. p. 35. 67. cfr. D. Atlas, IV, p. 373.

104) Hæc arbor s. palus, ubi in damnatos animadvertebatur, tempore reformationis interdum eo loci erigebatur, quo monasterium, jam dirutum, ante steterat, ut contemtus in catholicam disciplinam eiusque instituta inde elucesceret. Exempla vide; D. Atlas 3, p. 98 V, p. 152 &c. Hvidtfeld p. 1318.

Digitized by Google

rius publice evangelium prædicavit 1527, nequiequam obsistente Archiepiscopo Lundensi, M. Achone Sparre, qui alias sententias evangelii doctoribus persvadere frustra conatus est 105). Faventibus nempe civibus et inprimis qui in magistratu munera gerebant, ut disertis verbis commemorat Manuscriptum de ex pulsione fratrum, et inter eos præcipue Georgio Coccio 106 Consule urbis, atque Jacobi Nicolai, cive urbano, tantum progressum fecit reformatio, ut omnibus grata illico esset et accepta evangelica ratio. Igitur Johannes Ploug, monachus, cum in missa legenda obstinate perseveraret, lapidibus petitus ab altari refugere est coactus; et monachis mendicantibus per Johannem Fyenboe, unum e consulibus, urbe expulsis, cum Fredericus 1mus jam 528 coenobio spiritus sancti in curiam, concilii publici sedem, et monasterio Franciscanorum, in nosocomium transmutandis, cives donavisset, urbs anno sequenti pontificiæ doctrinæ

105) D. Mag. 5, p. 236.

106) Georgius Coccius erat natione Vestphalus, vir idoneus, quem Fredericus Imus postea equitem fecit. Consul Malmogiensis Johannes Michaelis, qui Christiernum 2dum regem suum exulem est secutus, forsitan jam Malmogiæ habitans reformationi faverat. &c. Crag. Ann p. 16.

omnino renuntiavit 107). — *Othiniæ* a. 1527 celebres procerum regni conventus religionis cauſa habiti ſunt, de quibus jam ſupra 108); cæterum in hac urbe doctrina pontificia et lutherana inter ſe de principatu diu certarunt. Georgius Sadolin cum Jacobo Froſt, qui a. 1532 ad eccleſiam lutheranam transivit 109), et ad parochiam Albani ſ. ædem Franciscanorum 110) ſacerdos primus evangelicus evaſit, tali ſuccesſu reformatam doctrinam publice expoſuerunt, ut monachi ambobus necem machinarentur, aliquando conſpiratione facta eos e medio tollere conantes; quod tamen in irritum ceſſit. E contrario vero Paulus Eliæ cet., qui ſectæ catholicæ addicti erant, quosdam in ſuas partes trahere moliti ſunt; illorum aliquis, nomine Paulinus, officialis episcopi, 1533 contra lutheranæ doctrinæ

107) Hvidtf. p. 1306. Pont. Ann. 2, p. 800. 825. Kort Berättelse om det ſaakallade Sta Knuts Gilldet, beſynnerligen det, ſom nu i Malmø florerar, af W. Flensburg. Lund. 8. p. 65.

108) cfr. Münter Refh. 1, p. 495 sq. 544. 561. 2, p. 1 ꝛc.

109) Bloch F. G. Hiſt. 1, p. 601. De præclaro hoc viro hi verſus ſcripti ſunt:

In Monachos, hostes Domini, vafrosque Sophiſtas
Suscepti belli prospera ſigna tulit.
Sed neque divitibus, pravis, Satrapisve pepercit,
Quos tenuit ſtudium, foede Epicure, tuum.

110) v. Noget om Altertavlen i Frue Kirke i Odenſe p. 6.

Digitized by Google

fautores disputaturum ſe profesſus est; quod cum autem ſordide et inculte fecisſet, Lutheranis docendi permanſit libertas. Id vero huic urbi bene contigit, ut ipſe episcopus pontificius, Canutus Gyldenſtjernius nempe, de quo nonnulla jam attuli, reformationi aliquo modo faveret 111). Tauſanus, Viberga Hauniam per Othiniam iter faciens, coram incolis huius urbis quoque conciones habuerat; tandemque hic ut alibi bona cauſa triumphavit. — Ao. 1527 *Hadersleviа* urbe Franciscani expulſi ſunt; *Slesvici* vero idem factum est anno ſequenti 112). — *Alburgi* jam 1526 erat ſacerdos evangelicus, Martinus Hegelund; et 1530 monachis præfectum regium e monaſteriis abactis, ſacra publica, permittentibus civibus cum magiſtratu, ſecundum ritus a Luthero inſtitutos celebrabantur. — *Arhuſiæ* 1530 monachis expulſis monaſteria diruta ſunt vel in alium uſum, ut fieri ſolebat, accommodata 113). — Nec minus *Asneſia* doctore evangelico, Chriſtiano Schrockio, cuius jam mentionem fecimus, ma-

111) Frater eius Georgius Gyldenſtjernius in æde Sti Canuti Othiniæ ſepultus est. De eo et familia eius et de monumento eius ſepulcrali vid: Danſke Mag. IV, p. 161.

112) Pont. Ann. 2, p. 797. 823.

113) Pont. Ann, 2. p. 827. Münter Refh. 2, p. 236. Hvidtf. p. 1318.

Digitized by Google

ture gavisus est, quamobrem cives a. 1530, monachos cum abegissent, veræ religioni totos se addixerunt 114). — Ao. 1529 incolæ oppidi *Coldingi* dicti monachis sunt liberati, cum dux Christianus, rogatu civium et Hartvici Andreæ, nobilis cuiusdam viri, monachos ex oppido migrare juberet, dicens, regem illos ibi non amplius toleraturum esse 115). — In oppido *Skagen* nominato Rex a. 1531 Laurentium Nicolai sacerdotem constituit, „qui divinum evangelium doceret, et id inprimis prospiceret, ut cum Consule et civibus urbis in concordia viveret". — Sequenti anno *Calundeburgæ* sacerdos evasit Melchior, qui, antea Guardianus Franciscanorum Protestantium partes secutus est 116). *Ystadiæ*, cum a rege 1531 concessum esset, ut monasterium in xenodochium mutaretur, cives, duce Johanne Hjort Consule, in monachos mox invasere 117). — *Halmstadiæ* cives a. 1531 parochum evangelicum sibi sumsere Johannem Hemmigsdyng, a quo rogati, ne fratres minores (quorum apud nos summa

114) D. Atlas VI, p. 673.

115) D. Atlas p. 903. Rex monachis pro viatico centum marcas concessit et calicem ornatumque sacerdotalem iis dari jussit. Pont. Ann. 2, p 828 Münter Rfh. 2, 48.

116) Münter Refh. 2, 198. Paludans Beskr. ov. Kalundborg, p. 163.

117) Pont. Ann. 2, p. 859. Wadsk. l. c.

Digitized by Google

erat frequentia) mendicari, prædicare, missamque habere diutius paterentur, una cum magistratu ad monasterium sese mox contulerunt, et sepositis pretiosis rebus ibi repertis, monachos intra certum temporis spatium migrare jusserunt 118). — *Nestvediæ* dirutum est monasterium Franciscanorum 1531 119). — *Roeskildiæ* Rönnovius episcopus, gravi in lutheranos odio insignis, 1533 doctores evangelicos ex urbe depellere voluit, cui consilio civis aliquis (Peder Smid) tali ardore restitit, ut episcopus ab incepto desistere cogeretur 120). — *Flensburgi* denique, ne plura proferam exempla, abrogato jam, maximam partem, cultu catholico, coenobio suo Franciscani sunt expulsi 1536, cum cives ira essent accensi, inprimis quod jure asyli, quo gaudebat coenobium, abusi essent monachi 121). — Cum cætera municipia omnia evangelicam doctrinam summa lætitia amplecterentur, unica Helsingora excepta erat; causas vero huius phaenomeni si requiris (quas affert Hofen, Hels. Bestr. p. 212) invenies, hasce tales fuisse, ut de cultura et moribus municipum honorificum edant testimonium. *Helsingoræ* enim incolarum maxima pars erant cau-

118) Pont. Ann. 2, p. 838.
119) D. Atlas, 3, p. 98.
120) Pont. Ann. 2, p. 881.
121) Pont. Ann. 2, 896.

pones et alii homines eiusmodi, qui, utpote vitam inter aleam ganeam et comessationes agentes, una cum nautis compluribus, e diversis nationibus eo confluentibus, de religione parum solliciti, cuti curandæ solum indulgebant; quamobrem antehac quoque varia prodierant mandata regia, quæ cædes, stupra et grassationes vetabant. Huc accedebat, quod iste, qui primus in hac urbe doctrinam evangelicam tradidit, abiectus quidam et nequam fuisse dicitur, qui aliquando virginem corruperat, et pessimo exemplo omnino vivebat. — Quæ omnia hic a me dicta sunt, non ut omnia, quæ ad integram historiam reformationis hisce in municipiis introductæ pertinerent, hoc loco proferrem, sed ut videat unusquisque, quam tempestive quamque ardenter cives municipiorum in Dania beneficii reformationis sibi oblati participes fieri cuperent 122).

Civium ordo in patria quantæ auctoritatis esset quantoque studio veritati evangelicæ deditus, indicant denique ea, quæ in ipsis regni comitiis cæterisque publicis negotiis, dum reformatio institueretur, ab eo inde tempore, quo prima reformatæ doctrinæ notitia ad nos pervenit, ad annum 1536 usque, quo omnino abrogatus

122) Münter Refh. I, p. 483.

Digitized by Google

est cultus catholicus, gerebantur, totaque ratio publicarum de hac re actionum, quas Hvitfeldus, Cragius vero præcipue, nobis retulerunt. Quæ igitur breviter etiam attingam. Jam a. 1524 necessarium ducebatur illud: „Senatorum regni Daniæ ecclesiasticorum et secularium conclusum contra doctrinam Lutheri", quod impressum invenitur apud Münterum 123), unde videmus, quantum episcopos jam tum angeret et sollicitaret metus, ne reformatio succederet, et libri impressi, de quibus supra egimus, inter cives divulgarentur 124). Ao. 1525, quo tempore flagrabat in Germania bellum rusticanum, Fredericus primus, rex Daniæ evangelium in ducatibus impune prædicare omnibus jam permittere potuit, quæ libertas anno 1527, cum omnes fere Jutiæ meridionalis urbes reformatam profiterentur doctrinam, in comitiis Othiniensibus ad cæteram Daniam extensa est 125). — Ad comitia Havniensia a. 1530 126) habita sacerdotes lutherani jam e pluribus urbibus, Malmogia v. c. Vi-

123) Refh. I, p. 526.

124) Quomodo vulgi manibus tererentur versiones N. T., patet e verbis Pauli Eliæ, Münter Refh. 1, p. 480.

125) Hvidtf. p. 1302.

126) Eodem anno rex pallium Romæ petere episcopis vetuit. Hvidtf. p. 1318.

Digitized by Google

berga, Alburgo, Asnesia, Landiscorona, Falsterbo, Trælleburgo, et Ystadio convenere 127). — De comitiis Havniæ a. 1533 habitis Cragius ita refert 128): „Mortuo Frederico 1mo comitia regni Havniæ habenda ad regem novum creandum sunt indicta; quo cum confluxissent permulti *ex omnibus ordinibus*, episcopi, cum a rebus sacris initium factum esset, oratione sua *plebem* (ɔ: cives) accusavere, ut cui imagines sanctorum dejicere religioni non fuisset; indignabantur prætérea, quod ecclesiasticis nulla veneratio tribueretur, sed minuerentur in dies, quæ sacris annumerare juris esset, hæreticis porro coenobia, a monachis et virginibus sacris deserta, occupantibus; questi denique, per senatusconsultum Othiniensem decessisse plurimum juri ecclesiasticorum, quibus antea jus poenas ob delicta irrogandi competebat, jam vero hoc juris, sacro ordini ademptum, cuivis ex nobilitate sine meritorum discrimine collatum esse.“ — Eisdem comitiis, cum episcopi et nobiles vererentur, ne cives, cum interregnum esset, Christiernum secundum iterum regem cooptarent, et tumultus ita in regno oriretur, Senatoribus regni tributa est pote-

127) cfr. D. Mag. 1, p. 89.

128) Cragii Annal. p. 4-5.

Digitized by Google

ſtas, quà jurisdictio cuiusque pateret, controverſias et lites omnes componendi aut dijudicandi. „Secundum hæc ita conſtituta, Cragius inquit 129), ordinari provincias regni placuit, ac mandata uni alicui primario ex nobilitate viro in quavis provincia pacis ac tranquillitatis publicæ cura, cui, ſi quis vel belli externi metus vel *populi motus* exoriretur, omnes parere ſcirent. Qua de re promulgatum vulgo Senatus nomine edictum, quo *ratio plebi reddita*, cur comitia regia prorogari necesſe fuerit, jusſique interim omnes parere ducibus ſuis, ſi qua neces-ſitas arma ſumendi ingrueret. Verum quia *opulentiorum et potentiorum* exemplum ad reliquam plebem in fide et obedientia retinendam multum conferre creditum est, acciti in ſenatum magiſtratus *Hafnienſium et Malmogianorum*, quos hac ipſa de cauſa *comitiis interesſe* patres voluerunt." Notabile de civibus teſtimonium, et magni in hac re, de qua agimus, momenti! Quantopere vero religio reformata civibus cara, et quantum odium in eccleſiaſticos fuerit, patet e verbis Georgii Wullenweber (Textoris), Conſulis Lubecenſis, quibus Georgii Coccio et Ambroſio Bibliopego Conſulibus, ut Chriſtierno ſecundo imperium denuo

129) Annal. p. 10.

Digitized by Google

appetenti opem ferrent, persuasit, quorum summam Cragius ita retulit 130): „existimare pium et dignum homine officium, periclitanti veræ religioni pro viribus obvenire; nam si res ecclesiasticis ad voluntatem affluerent, pertimescendam immanem eorum sævitiam.“ Eodem respectu Marcus Meier et Georgius Wullenweber, Consules Lubecenses, cum Christophoro comite Oldenburgensi de bello Daniæ inferendo communicantes, dicebant: „id pro religione dissidii in Dania inolevisse, ut non sperandum esset ecclesiasticis 131) a plebe auxilium, quæ nihil mallet, quam regem aliquem eis infestum creari. — In conventu Hotersnesiensi a. 1534 ad Christianum tertium regem eligendum habito, senatores cum nobilitate et quibusdam *ex singulis oppidis* quin etiam e quolibet rusticorum conciliabulo adfuerunt, ubi a Christiano fides data est, ut episcopi, prælati, et quicunque ordinis erant ecclesiastici, si vellent, sacra sua et bona omnia ecclesiasticis attributa retinerent, donec parta tranquillitate et quiete, Senatus *populusque danicus* de iis aliter decrevisset 132). Idem rex, Lundiam s. Londinum Scaniæ a. 1535 ingressus, conventum totius pro-

130) l. c. p. 15.
131) Cragii Ann. p. 29.
132) ib. p. 56.

Digitized by Google

vinciæ indixit, ad quem delectos quosdam e patribus regni, nobilitate, et e plebe tum rustica tum *urbana*, teste Cragio 133), convocavit. Denique ad comitia 1536 Havniæ habita, quibus reformatio prorsus est introducta, etiam *delectos „ex plebe urbana et rustica"* cum cæteris ordinibus convocari jussit Christianus tertius; hic rex insignem habuit orationem 134), in qua de miserabili civita-

133) ib. p. 102.

134) Hvidtf. p. 1489: "Kongen holdt Bursprok med menige Adel, Borgere oc Bønder paa Gamle Torff" &c. — cfr. Fragment af den Bog, som Kong Christian 3 lod oplæse imod Bisperne paa Herred. i Kbhvn. d. 30 Oct. 1536, quod invenitur in: Ny danske Mag. 3 B. p. 1 sqq., ubi p. 5 Rex ita loquitur: "Og at vi nu hafve paasatt denne Rigsdag anderledes end Sædvane og brugeligt hafver været af gammel Tid, udi det at Vi hafve ladet forskrifve hid saavel Borgere og Bønder som Adelen og dog tilforne ikke hafver været Sædvane at forskrifve til Herredage uden Ridderskabet og Adelen, hafver denne Aarsage" &c. — Ordinationem ecclesiasticam, quæ jussu regis post introductam reformationem prodiit, nominibus subscriptis firmavere parochi urbium plurimarum in patria, v. c. Alburgi, Coagiæ; Coldingi, Calundeburgæ, Flensburgi, Faaburgi, Hothersnesiæ, Haderslevisæ, Husumi, Landiscoronæ, Randrussiæ, Riparum, Slesvici, Svenoburgi, Vibergæ &c. v. Hvidtf. p. 1391. Münter Refh. 2, p. 342.

Digitized by Google

tis ſtatu queſtus, nobilitatem contra plebeios multa commisiſſe, haud diffitebatur, id vero inprimis agebat, ut episcopos criminum in religionem, regem, et patriam patratorum accuſaret; qua finita, cum e plebeiis quæſivisſet, vellentne poteſtatem episcopalem in regno conſervari, hi ad unum omnes concitata voce, ſe in fide evangelli permanere velle, abrogari autem poteſtatem pontificiam debere, clamarunt. — Ita verior doctrina in patria plane vicit 135).

Ex omnibus hic allatis hæc ergo apparet veritas, civium ordinem in patria magna eo tempore auctoritate et exiſtimatione gaviſum eſſe, quoniam ad omnia negotia publica, licet alia conſuetudo antiquitus invaluisſet, civium quoque delecti convocarentur, civesque quid ſibi placeret, interrogarentur. Præterea intelligere licet, quantus in omnibus municipiorum incolis fuerit ardor religionis reformatæ amplectendæ, cum vix prius

135) Propoſitum meum in hisce narrandis fuit ex ipſis historicis relationibus oſtendere, quid municipes in publicis negotiis, dum reformatio introduceretur, valerent. Cætera quæ ad propriam reformationis hiſtoriam pertinent omnia Pontoppidanus et post eum Münterus tanta diligentia collegerunt, ut Iliada post Homerum condere videretur ſi quis historiam reformationis apud nos introductæ jam ſcribere vellet.

Digitized by Google

apud nos innotuisſet purior doctrina, quam cito ſinguli cives, mox tota municipia, veritati patefactæ plane esſent addicta. Ergo municipibus inprimis debetur catholicæ religionis apud nos abolitio et fundatio reformationis, quæ patriæ posthac maximæ fuit felicitati.

IV.

Alia cauſa, quâ factum est, ut eccleſiæ in Dania reformatio ſuccederet, in *Hierarchia* est quærenda, quippe quam tanta comitarentur mala, ut manifestum ac deprehenſum omnibus esſe deberet, quam damnoſa atque peſtifera cenſenda esſet poteſtas Pontificis et clericorum 136); quod apud nos tanto magis obtinere neceſſe erat, cum civium ordinis, de quo, quantopere ad progresſum veritatis adjuvandum valeret, jam vidimus, ea esſet conditio, ut incommodis, hierarchiam ſecutis, inprimis esſet obnoxius. Scimus quidem, hierarchiæ disciplinam olim fuisſe et ſalutarem et necesſariam 137);

136) De hac re fuſe disſeruit Münterus in primo libro hist. ref.; hic igitur non opus est nisi aliqua exempla proferre, quibus ſingula, quantum ſat est, illustrentur.

137) Nuperrime de hac re optime disſeruit Dr. Eſtrup in docta ſua commentatione: Idea hierarchiæ romanæ, p. 2 sqq. cfr. p. 51 pl.

Digitized by Google

ſed tempus, quo talis fuerat hierarchiæ conditio, jamdudum præterierat; evanuerat quicquid boni in hoc ut in pluribus medii ævi inſtitutis antea repertum erat; magna ſua poteſtate horrendum in modum abuſi erant pontifices romani 138) cæterique eccleſiaſtici omnes; et episcopi inprimis ob peſſimam dominandi cupidinem, ſuperbiam, et avaritiam 139) regibus 140), nobilitati, et plebeiis, quin

138) Paparum potentia quanta fuerit et quomodo uſurpata, ex historia eccleſiaſtica ſatis ſuperque conſtat. Sententia viri cl. Heeren, quam alicubi legisſe memini, "daß die Päpste mit den Völkern weit vorsichtiger und schonender umgingen als mit den Höfen," ſine dubio *generatim* vera est; interdum autem populi quoque duram pontificum poteſtatem perſentire cogebantur. Sic v. c. invenimus, a. 1456 iugi pontificii ita pertæſos fuisſe incolas ſeptentrionalis Norvegiæ partis, ut de græca eccleſia, relicta romana, amplexanda cogitarent (Hvidtf. p. 864. Pont. Ann. 2. p. 520); licet Pontifex Rom. paulo ante, a. 1450, incolis Norvegiæ veniam oenomeli pro vino in ſacra coena adhibendi concedisſet (Pont. Ann. 2, p. 329). v. t. 1237 vero Pontifex Norvagis cereviſiæ uſum in euchariſtia pro vino concedere noluerat (Suhm H. af D. IX, p. 679).

139) Recte et pulchre Salluſtius (Cat. XI); Ambitionis, inquit, vitium propius virtutem est quam avaritia.

140) Quomodo monachum prædicantem ideo illuſerit Chriſtianus tertius adolescens, notum est.

Digitized by Google

et ecclesiasticis inferioris ordinis 141) maximo apud nos odio erant. Quam insolentes et contumaces in reges se gessissent, notum est 142); nuperrime autem quam parum curæ ipsis esset patriæ salus, quantaque propriæ utilitatis cupi-

141) Hvidtf. 599=803. Holb. Dnm. Hist. 1, p. 556. Rothe Nord. Statsf. 1, p. 348. 351 sqq. Haud parum igitur progressum reformationis hoc adiuvabat, quod monachi sibi invicem insidias struerent, et clerici inferiores superioribus inviderent. Exemplum injuriæ ab episcopis canonicis illatæ a. 1297, vid. Suhm Hist. af Dnm. XI, p. 269. — Quomodo episcopi et reges et incolas Daniæ et Norvegiæ vexaverint, satis notum est; vid. Suhm, Hist. af Dnm. X, p. 200. XI, p. 87 sq. Torfæi hist. Norv. 4, p. 15 sqq. Krag Krist. 3s Hist. (vers. dan.) p. 19-20. 115. 162. 167. Adhuc a. 1554 tumultus in Dania oriebantur, quia episcopi urbes quasdam, quæ lutheranam doctrinam amplexatæ erant, excommunicavissent. Ecclesiastici quantum in rebus et civilibus et politicis valerent, vid. Münter, Refh. 1, p. 64; secundum capitulationem, ut vocant, Frederici Imi nobiles soli ad dignitatem episcopalem ascendere poterant.

142) Hvidfeldus l. cit plura adfert exempla; et conf., si placet, Ny d. Magasin 3 B. p. 2.: criminationes Christiani 3tii in episcopos catholicos; in quarum fide historica diiudicanda tamen observationis Badenii (D. Litt. Tid., 1811, p. 163) non est obliviscendum.

Digitized by Google

ditate esſent accenſi, manifesto oſtenderant, cum, quia Chriſtianum tertium regem agnoscere nollent, bellum patriæ adeo peſtiferum ut lubecenſe exciere haud dubitavisſent 143). Cæteri ex ordine eccleſiaſtico melioris indolis esſe non videbantur, quoniam omnes eadem dominationis cupiditas, ambitio 144), et auri ſacra fames 145) corruperat; reditus vero

143) Cragii Ann. p. 109.

144) inſpice ap. Hvidtf. p. 865 verba Chriſtiani Imi de ambitione cleri.

145) Hvidtfeldus (p. 599) de cathedratico et de hoſpitalitate clericorum verba faciens, avaritiam cleri catholici oſtendit, unde ſeditio in regione Vendſyſſel a. 1473 orta est (p. 803). — Johanni Grand archiepiscopo ab eccleſiaſticis inferioribus ſoluta est pecunia pro licentia concubinas habendi (Suhm Hiſt. af Dnm. XI, p. 805). Exemplum æque deteſtabile ſceleratæ avaritiæ dedit Petrus Hvid, ſacerdos parochiæ Hörup in Alſia inſula, qui piscem aureum ædis furto abstulit et aufugit, comprehenſus vero laqueo ſuspenſus est (Pont. Ann. 2, p. 894). — Itinera episcoporum, templa, coenobia cet. visitandi cauſa ſuſcepta, pluribus modis quoque moleſta fuere; qua de cauſa monaſteria a pontificibus ſæpe petiere, ut eximerentur a principatu episcopali, qua exemtione incolæ coenobiorum, "monachi dites ſed imbelles," cavere volebant, ne episcoporum avaritiâ et luxuria bona eorum omnino diriperentur; qualem exemtionem a principatu episcopali, petitam

clericorum, quos partim e prædiis, partim e decumis traxerunt, tanti erant, ut tertiam patriæ partem in possessione ordinis ecclesiastici fuisse non dubitet contendere Münterus 146). Pontifices Romani præterea toti civitati ecclesiasticæ, quam bono ordine continere debebant, pessimo ipsi fuere exemplo; omnes terras sub dominio suo tenere studuerunt 147); indulgentiarum porro detestabilis

sæpe obtinuerunt coenobia, jussitque tum papa: nulli episcoporum licitum esse super illud monasterium principatum exercere. — Hæ visitationes episcoporum causam fortasse dedere mandato legis Ch. V. 2—17—13.

146) v. Münter 1, p. 37. cfr. Danske Litt. Tid. 1811 p. 45. — Munus episcopi Roeskildensis tantis reditibus gaudebat, ut episcopus supra 33 castra et prædia ut feuda offerre posset, multarumque præterea urbium, arcium et nosocomiorum gubernationem atque imperium haberet (Hvidtf. p. 1312). — Reditus ecclesiasticorum augere antiquiori tempore necessarium fuisse, sine dubio censendum est, nempe ut nobilibus in vita et victu quodammodo pares essent ecclesiastici, nec ab iis deprimerentur (Grundtvig, Roeskilde Saga p. 16); sed jampridem divitiæ clericorum justos limites, natura præscriptos, finesque, "quos ultra nequit consistere rectum," transgressi erant — Testamentum Joh. Urnii, præp. Oth., (d. Mag. 1, p. 289) divitias clericorum iis temporibus quoque indicat.

147) Exemplum unum e terris borealibus sum-

Digitized by Google

venditio 148), morum probitati perniciosissima, indignationem optimi cuiusque non potuit non movere. — Municipiis vero potentia pontificum et clericorum prave usurpata præ cæteris gravis erat et molesta. Pecunia, cuius magnam vim papæ e terris nostris multifariis modis abstulerant, non solum ad mercaturam verum etiam ad quotidianum et communem rerum usum ac victum defuit

tum, vide: Thorkelin. Diplom. Arn. Magn. 2, p. 8.

148) De aliquo indulgentiarum venditore, qui Ao. 1485 Daniam lustravit, Chronicon Slavor. "hic, inquit, miro modo explumavit pauperes Christi" (Pont. Ann. 2, p. 318); et Chron. Skib. pari occasione dicit: "hi legati (indulgentias vendentes) remissionibus suis multam pietatem exstinxerunt et fenestram Lutheranismo aperuerunt;" unde satis apparet, quid catholici ipsi de hac re sentirent. De Arcemboldo (de quo cæterum vid. Behrmann, Skand. Litt. Selsk. Skr. 1810, et eiusd. Christ. d. 2dens Historie Kh. 1815. 2 D. p. 84) chronicon vetus dicit (vid. Suhms Saml 1 B. 2 H. p. 170): "hans Befaling offuertredelse och misbrug gaff en stor orsage til Lutherij, som nu regnerer." cfr. Suhm Hist. af Danm. XI, p. 931. Danske Mag. 1, p. 100. — Ipse pontifex romanus pollicitus erat in concilio constantiensi Ao. 1417 habito, ita: "cavebit dominus noster Papa in futurum nimiam indulgentiarum effusionem, ne vilescant." Schmidts Gesch. d. Deutsch. VI, p. 132.

Digitized by Google

149). Episcopi cæterique ecclesiastici diversis modis injuriis affecerant cives urbanos, quibus præterea quæstuosa mercaturâ, ad quam faciendam propriis insuper navibus utebantur, ita æmulati sunt, ut, quod cives non absque ratione ægre tulerunt, naves mercibus onustas in alienas terras etiam emitterent 150). Nec

149) Variis artibus auro, argento, nummis regnum emungere sciebat curia romana; vid. Terpag. Rip. Cimbr. p. 91. Münter Refh. 1, p. 51 sq. cfr. Spittler von Zinsbk. d. nord. Reiche &c.

150) Ao. 1417 episcopus Lundensis navibus suis mercaturam exercuisse invenitur (Hvidtf. p. 669); itemque Olufus, episcopus Norvegiæ, a. 1525 (ib. p. 1285). Monasterium, quod Lygum Kloster vocamus, naves in mercaturæ usum instructas possedit (Suhm Hist. af Dnm. X, p. 306). Nec minus canonici apud templa cathedralia Arhusiæ et Nidrosiæ, et verisimiliter quoque cæteri, mercaturæ operam dedere; quin et capitulum cathedrale Arhusiense naves oneratas emisit, et mensura quadam sua ad frumentum metiendum usum est (Hertel Aarh. Domk. Beskr. p. 155). Canonici vibergenses e salinis insulæ Læsö quæstum haud parvum fecerunt (D. Atl. IV, p. 708. Bing Beskr. over Læsø p. 26). Clericos quoque municipiorum piscandi jus minuere voluisse, patet e narrato: D. Atl. 8, p. 96. Cum vero ecclesiastici mercaturam sic occupassent, hæc res municipibus quibusdam inopiam et egestatem paraverat (Münter Refh. I, p. 297). Vetuit igitur Christiernus secun-

Digitized by Google

minus jus pecuniæ signandæ episcopis traditum civibus noxium fuit; edictum quoque juris canonici, quo usuris pecuniam mutuare vetitum est, mercaturæ parum commodum 151); jurisdictio ecclesiastica vero municipiis omnino molesta evaserat. Præterea monachi et clerici in universum municipia premere et sibi, quantum fieri potuit, obnoxia facere nun-

dus episcopis, prælatis, abbatibus, canonicis, prioribus, monachis, omnibus denique clericis mercaturam exercere.

151) Usuras accipere jure canonico ordinarie non permissum erat; vid. Artneri Nucl. juris can., Colon. 1700. 8. p. 245 & 411; hoc vero commercio municipiorum haud parum impedimento fuit. — Jus nummos flandi et feriundi tempore pristino episcopis traditum fuerat, quod earum rerum, quæ singularem fidem requirunt, cura tuto illis delegari videbatur, quibus summam pietatem et vitæ integritatem omnes unanimi consensu ex opinione vulgari tribuerunt (Ludewig, Einl. z. d. Münzwesen, Ulm 1752, p. 75); sed historia dissensionum regum nostrorum cum episcopis ostendit, hanc inter præcipuas criminationes adversus episcopos fuisse, ut nummi ab ipsis cusi non satis probi nec justi pretii essent. — Cæterum de re monetaria municipiorum vide Terp. Rip. cimbr. p. 694. Bircherod Spec. ant. rei monet. Dan., Havn. 1701. 4. Rothe Nord. Statsf. I, p. 354.

Digitized by Google

quam cessarunt 152). Quas ob causas civium in clerum pontificium odium gravissimum erat. — Huc accedebat, quod, licet studium scientiarum in coenobiis non prorsus evanuisset, monachi tamen et plu-

152) Quia monachi, dominicani et francisani inprimis, plus apud plebem quam sacerdotes parochiales valebant, et quia ædes coenobiorum petere sanctius ducebatur, ideo ædes parochiarum in urbibus plerumque vacabant. Quando sacerdotes ut vicarii coenobiorum vel canonicorum sacra in æde aliqua administrabant, hic non illi, reditibus ædis gaudebant. — Unaquæque fere urbs cathedralis capitulo suo, aliæ urbes monasteriis erant subjectæ (Rothe Nord. Statsf. 1, p. 145); Nestvedia v. c. monasterio suo ita erat subdita, ut nemini civium domum fundumve absque consensu abbatis vendere liceret (Suhm Hist. af Danm. XI, p. 80); Asnesia sub jurisdictione episcopi Othiniensis erat (Hvidtf. p. 1309). Invenimus igitur, dissensionem inter abbatem monasterii cum conventu monachorum & consules civesque urbis interdum ortam esse, cuius exemplum vide Scriptor. IV, p. 340, No. XVII. — Præter hæc omnia incolæ urbium et ruris hic ut alibi de multis festis diebus querebantur, quibus a labore quotidiano fungendo avocabantur, quo gnavitas et industria impediretur (vid. J. C. W. Moehsen, Geschichte der Wissenschafften in der Mark Brandenburg, Berlin u. Leipz. 1781. 4. p. 389), quorum numerum igitur minui Lutherus voluit (Seckendorff, l. c versio germanic. p. 588. 1523).

Digitized by Google

rimi clerici ſcientias colere ita neglexiſſent, ut qui literis progredi cuperent, exteras univerſitates petere ſæpisſime coacti esſent; quare initio reformationis idoneos ad omnes parochias ſacerdotes obtinere admodum difficile erat 153). Nec maior clericis fuerat ardor cultum dei promovendi 154); episcopi enim cum coenobiis templorum parochialium reditus et vectigalia ſæpisſime occupaverant, ad quæ templa, (quod a. 1533 recte conquerebantur evangelici) ſacra per ſcribas pauperesque parochos pro ſervis pæne habitos, adminiſtrabant. Invenimus igitur plebem tempore reformationis episcopos criminatam esſe, quod in multis templis non niſi tertio vel quarto quoque die dominico ſacra haberentur; quin Magnus Giöe etiam teſtatus est, in toparchia quadam quatuordecim vel ſede-

153) Exempla adſunt pl. loc., v. c. Pont. Reſh. p. 320=1. Nec melior in Norvegia erat rerum conditio, vid, Hattings Præſtehiſtorie p. 149. Inspiciendum quoque est Lexic. Wormii 1, p. 22.

154) En cauſam admonitionis, episcopis a Frederico primo datæ: „dummodo quod veſtri est muneris indefesſo labore et vigila induſtria exſequamini." Pont, Ann. 2, p. 805. Episcoporum culpa inſtitutio publiea in deterius abiit, v. Münter Reſh. 1, p. 313. Misſa in ſuperſtitionem verſa, ib. 2, p. 269.

Digitized by Google

cim templorum duos modo vel tres parochos fuisse 155). Adde, quod jure naufragii nefanda impietate episcopi utebantur 156). — His igitur perpensis, quid mirum si in dominatione tot injuriis conspicua reformationis ope funditus evertenda omnes certarent; quare Moshemius, hoc ecclesiæ statu commotus, de reformatione in patria nostra his verbis utitur: „accusabant non privati tantum homines verum potentissimi etiam reges ac populi romanorum pontificum impotentem dominatum, aulæ romanæ fraudes, vim, avaritiam, injustitiam, legatorum pontificiorum superbiam, tyrannidem, et ditescendi studium, sacerdotum omnis generis et monachorum flagitiam, inscitiam, et immanem licentiam, legum denique romanorum iniquitatem. Inprimis autem in utroque regno septentrionali emendatio sacri ordinis erat res non religiosa solum sed omnino civilis et humana; episcopi nempe tot opes, tot castra, tot reditus, tantam auctoritatem sibi pravis artibus comparaverant, ut regibus multo potentiores essent et universam rempublicam suo nutu regere possent, immo mag-

155) „Hvor høilig var da ikke Reformationen nødvendig, og hvad herlig Virkning har den ikke yttret i Oplysning og Sæder!" — Suhm, Udt. af Danm. Hist., udgiv. ved Werlauff, 1813. p. 112.
156) Nyerup Skildring &c. 1, p. 350 sqq.

Digitized by Google

nam partem patrimonii regum et publicorum redituum ad ſe traxisſent" 157).

V.

Ut vero abuſu hierarhiæ in odium incurrerat ordo clericorum, ita *moribus ſuis disſolutis ac flagitioſis* in contemtum abivit, quo progreſſus reformationis hic ut alibi inſigniter adjutus est. Mores enim et vita quotidiana clericorum cuius conditionis ſub finem medii ævi esſent, nemo ignorat; nam ſive ſpectes divitias, quarum ope victus cultusque largus et abundans illis paratus erat, ſive honorem et venerationem, qua religio majorum eos, quorum erat res ſacras et divinas tractare, proſequebatur, ita ut omnium in eos reverentia maxima ſemper esſet 158); hæc omnia perverſis moribus in contemtum Dei, voluptates libidinoſas, luxuriam, aſtutiam, et ſcelera cuiusvis generis verterant. Quis vero, cuius pectori vel minimus probitatis ſenſus inesſet, non ægre ferret, quorum fuisſet aliis viam virtutis monſtrare, eos hanc ipſam ingredi dedignari, quos porro exempla vitæ honeſtæ præbere oporteret, eos omnibus vitiis et ſceleribus ita esſe inquinatos, ut nihil

157) Moshemii Hiſt. eccl. p. 671.

158) Operæ pretium est verba Saxonis in vita Canuti ſancti hac de re conferre.

Digitized by Google

tam flagitiose patrari posse videretur, quod non ab aliquo monachorum vel cæterroum clericorum commissum esse diceretur. Hunc autem, respectu ad mores habito, fuisse statum ordinis ecclesiastieorum per omnem fere Europam, cum satis constet, vix est ut documentis illustrare mihi opus sit; quæ qui desiderat, inspiciat Löscheri acta reformationis 139), unde satis superque patet, qualis esset ecclesiæ conditio, cum Lutherus reformationem inciperet. Clerici, ut testatur hic auctor, qui sacra biblia legere sæpe vix callebant, in concionibus suis modo de auctoritate ecclesiastica atque de vi et efficacia bonorum operum locuti sunt, per quæ bona opera intelligebant modo cærimonias quasdam externas, indulgentias a pontifice rom. petendas, et liberalitatem erga clerum. Cum vero missæ maximam partem sacrorum publi-

139) Löschers Vollständige Reformationsacta. Th. I. Kap. 5. 9. — Hunc librum pretiosiorem et aliquatenus rariorem cum hic ad manus habere mihi non contigit, cl. G. L. Baden., vir ut doctrina ita et diligentia sua literaria clarior, quam ut mea indigeat laude, singulari benevolentia mihi permisit, ut e conjectaneis suis exscriberem, quæ, huc facientia, ex hoc libro uti ex multis aliis., excerpserat diligentissimus hic patriæ historiæ cultor. Cuius benevolentiæ publice gratias debitas ago.

Digitized by Google

corum explerent, conciones etiam rare et modo inter ſacra pomeridiana habere ſolitum erat. E coenobiis autem jamdudum migraverat omnis verecundia morumque honeſtas; lascivia vero atque heluatio ibi ita regnabat, ut etiam extra coenobia ſpargeretur de corruptis monachorum moribus fama. Oſtendit porro, horum ſcelerum contagionem ad gentes quoque manasſe, inprimis cum indulgentias emendo omnia flagitia expiare posſe crederent; quo factum est, ut etiam peregrinatores religioſi, qui ſacra loca viſitatum ibant, ſæpe mala quædam patrarent. — Haud aliter Moshemius 160) mores eccleſiaſticorum de pingit. ”Episcoporum plerique, inquit, cum canonicis vitam laute & hilariter inter quotidiana peccata conſumebant, opibusque a majoribus Deo & pauperum commodis dicatis, ad explendas libidines ſuas abutebantur. Plerique etiam longe durius & aſperius tractabant homines in dominatu ſuo viventes, quam civiles magiſtratus & principes. Sacerdotum maxima pars ob ſocordiam, impudicitiam, avaritiam, & ignorantiam non ſapientibus tantum & bonis ſed ipſi quoque plebi vehementer ſordebat; venalia præterea cum esſent ſacra munera, difficile erat

160) Hist. eccl. p. 650.

Digitized by Google

piis & probis hominibus eximio quodam loco in republica christiana potiri, facile vero malis & improbis. Monachorum immensa multitudo graves ubique ciebat molestias & querimonias; Benedictini cæteræque familiæ, quibus facultas erat agros & certos reditus possidendi, opibus suis abutebantur & in omne vitiorum genus, legum suarum prorsus immemores, ruebant; mendicantes vero, Dominicani inprimis & Franciscani, rusticitate, superstitione, inscitia, moribus denique turpibus plerorumque animos a se alienaverant 161)." — Nec alia in patria erat rerum conditio. Monachos ut & cæteros clericos nullius non probri & libidinis reos deprehensos fuisse, multa indicant exempla 162). Mandatum Chri-

161) Id quod multis præterea firmatur exemplis. De flagitio Henrici episcopi Leodicensis fere incredibili vid. Lagerbing Svea Rikes Hist. 2, p. 730. cfr. de impudicitia virginum monasticarum: Remers Abriß des gesellschafftlichen Lebens in Europa, (quæ prima pars est operis historici: Robertson Geschichte Kaiser Karls d. Vten, umgearbeitet von Remer, Brunsv. 1792) p. 351. Cæterum pontifices romani concubinas clericis indulgere videbantur, vid: Münter Priesterehe ꝛc p. 353.; qua venia episcopi etiam utebantur. (Pont. Ann. 2, p. 26).

162) vid: Wadst. l. c. p. 194. Gjessings Jubellærere 3 D. p. 67, unde discimus, concubinas cle-

Digitized by Google

ſtophori Bavari, Ripis a. 1443 datum 163), multa mala in monaſteriis esſe patrata, indicat. Indicant idem narrationes de cryptis, quæ ſubter ſuperficiem terræ monasteria monachorum & virginum iunxiſſe dicebantur; licet enim parum veriſimile mihi ſaltem videatur, tales cryptas re vera fuisſe & longa ſæpe, ut narratio fert, ſpatia permeasſe, tamen

ricorum Deyer vocatas fuisſe. Monachorum in coenobio Guldholm (aurea inſula) impudicitiam refert Hvidtf. p. 178. Monachi in monaſterio St. Canuti Othiniæ tantâ infamia erant adſperſi, ut fæmina quædam, quæ veſte virili ſumta ſexum mentita in monaſterio famulabatur, miniſterio ſcilicet cerevisiarii fungens, ibi aliquando peperisſe dicta ſit. — Ad concubinas clericorum quod attinet, notatu dignum eſt, quod Münterus obſervavit (Prieſterehe p. 337 R. H. 1 p. 124.), lege Daniæ a. 1240 promulgata Valdemarum ſecundum edixisſe, ut concubina, quam aliquis domi ſuæ haberet, quacum palam cubitum iret, et cui claves domus commisſæ esſent, ſi tres annos una eademque menſa propalam uſi esſent, pro legitima et vera uxore cenſeretur (Jydſke Lov, 1 B. 27 Kap.) Licet autem concubinæ clericorum exceptæ non ſint, nescio tamen, an hoc legis effatum etiam de iis valuisſe veriſimile ſit, cum conſtet, clerum catholicum iuxta eorum temporum inſtitutum legibus civilibus obnoxium non fuisſe.

163) Kofod Ancher Saml. jur. Skr. 1, p. 819.

Digitized by Google

ſermo vulgi de talibus viis ad vetitam conſvetudinem uſurpatis, quid de monachis opinaretur vulgus, oſtendit 164). Nec leges adeo Chriſtierni ſecundi 165) optimam de moribus clericorum opinionem posſunt excitare; vetat enim rex, ne veſtibus indecoris ſint induti epiſcopi & ceteri eccleſiaſtici, ne in jus vocati judici maledicant vel clamores & convicia excitent, & plura eiusmodi 166). — Nec minus alio reſpectu contemtui erat ordo clericorum. Nota erat aſtutia curiæ romanæ 167); nota comisſatio & heluatio ſacerdotum, quæ in ſympoſiis & conviviis, quibus Calendarum (Kalenter, Præ=

164) Id igitur reformationis progreſſui utile accidit, ut monachis et virginibus ſacris mox daretur facultas, coenobiis relictis, matrimonia ineundi, qua ſtatim utebantur; vid: D. Atlas IV, p. 480. Pont. Ann. 3, p. 175. Bloch F. G. H. p. 11.

165) Münter Refh. 1, p. 304 sq. Skand. Muſ. 1798, 2, p. 192. sq.

166) Münter Refh. 1, p. 316. — Debent etiam hoc loco obſervari, quæ Hegewisch (deutſche Cultur=geſchichte p. 205.) de Conrado Pelte et poëmate eius: "Quatuor libri amorum" inſcripto, edito Norimbergæ 1502, quod multa de lascivia clericorum continet, quæ huc tanto magis referri posſunt, cum ex indicibus librorum patere videatur, auctorem etiam ad Daniam reſpexisſe. vid. ſis inprimis p. 211.

167) Hvidtf. p. 1320.

Digitized by Google

ſtecalenter ꝛc.) nomen inditum erat, maxima exercebatur 168), qua de cauſa hos ſacerdotum conventus Chriſtianus 4tus tandem a. 1618 necesſitate coactus omnino vetuit, unde mandatum, quod habet lex danica 2-16-12. Clericos quosdam chatolicos & ebrietati 169) & furacitati 170) deditos fuisſe, diſerta habemus exempla. — Quæ omnia cum ita esſent, mirum ſane, niſi virus depravationis clericorum ad vulgus quoque ſerpſisſet 171), & vivido reformationis deſiderio optimum quemque incendisſet. —

VI.

Ultima denique reſtat cauſa, cur doctrina reformata pontificiam detruderet: *ſpes nempe utilitatis cujusdam* & fructus ex tali mutatione percipiendi. Scilicet, quæ humanæ naturæ eſt infirmitas, non omnes meram reſpiciunt veritatem multique interdum potius ſpe lucri, quam juſtis rationibus commoti, ad id, quod

168) Kofod Ancher Om gl danſke Gilder S. 45.

169) Seckendorff (verſ. germ.) p. 2188.

170) vid. ſupr. cfr. D. Mag. 2, p. 68. Sartorius Geſch. d. Baurenkr. p. 34.

171) Meiners Hiſtoriſche Vergleichung der Sitten und Verfasſ. des Mittelalt. &c. Hanov. 1793. 1 B. p. 140.

Digitized by Google

per ſe verum rectumque eſt, ducuntur. Deo vero providente & moderante ſic etiam omnia ad bona promovenda conferunt, & quæ homines minus recte cogitant vel agunt, tamen vel univerſo humano generi vel ſingulis hominibus commodo evadunt. Scimus, quam ſalutifera propagationi religionis chriſtianæ fuerit Conſtantini Magni ad eam tranſitio, licet ipſe ſolis rationibus Chriſtiano dignis motus id vix fecerit. Verum cum reformationis ſemina apud nos quoque ſpargerentur, id commode accidit, ut ex mutato religionis & eccleſiæ ſtatu multæ penderent utilitates, quibus absque ullo religionis veritatisve detrimento, ſalva pietate, complures frui poſſent: præterea etiam erant, qui e mutato rerum ſtatu quæſtum modo facere ſtuderent. Verum & regibus & nobilitati, & municipibus & municipiorum magiſtratibus, & plebi denique emolumenta polliceri videbatur reformatio apud nos introducta, quæ igitur breviter videamus.

Regibus nempe ſperandum erat, fore, ut, poteſtate eccleſiaſtica everſa, & firmitas regni & imperii auctoritas ſtabiliretur, & reditus ac poſſeſſiones regum inſigniter augerentur. Bona epiſcoporum & cleri totius in fiſcum redigendo Reges inprimis ita locupletari poſſe videbantur, ut quæ oneribus belli aliisque ferendis

Digitized by Google

essent necessaria, illis suppeterent 172). Igitur post abrogatam potestatem episcopalem & monachos expulsos plura monasteria et bona episcoporum omnium, ut arces, præd a &c. regno cedebant, quorum autem maxima pars (proh dolor) postea in manus nobilitatis venit 173). Reges Fredericus I & Christianus III quoque pluribus modis reformatione ad reditus ærarii publici augendos usi sunt. Fredericus I enim pecuniam, curiæ romanæ antehac solutam, cum episcopi &c. confirmarentur, sibi numerari jussit 174); sic Rönnovius, episcopus Roeskildensis, regi pro pallio sexies mille aureos numeravit. Idem rex argentum e monasterio St. Canuti Othiniæ sibi in subsidium regno mitti jussit. Item Christianus tertius argentum superfluum ex æde Divæ Virginis Randrusiæ & pluribus templis accepit 175).

Nobilitati commodissimum visum est, si odium illud capitale, quod *plebem urbanam et rusticam a nobilibus & ecclesiasti-*

172) Hæc quoque respiciens Georgius Monetarius Christiano tertio reformationem introducendam commendabat. Vid. Crag. Ann. p. 124.

173) Vide, quæ observata sunt in diario literario Dsk. Lit. Tid. 1811, p. 37, 45, 62.

174) Münter Refh. 1, 491; 2, 42, 202. Hvidtf. p. 1312.

175) D. Mag. 1. p. 66, 63. D. Atlas IV, 375.

cis disjungerat, quodque, non sine causa conceptum, in bello Lubecensi manifesto se prodiderat, in episcopos & clericos solos averti posset. Limitata quoque, quæ episcopis fuerat, potestate, nobiles, non sine causa idonea, de auctoritate & potentia, sibi a Frederico primo tradita, sub Christiano tertio servanda & augenda spem conceperant, præsertim nullis æmulis. Porro spes eis affulsit, fore, ut ipsi haud parum ditescerent, partim præbendis & aliis bonis ecclesiasticis sibi traditis, partim recuperando clericisque auferendo, quæ religiosi majores usui pio, ut vocabatur, assignaverant 176). Nec sane dubitabant nobiles opportuna, quam nacti erant, occasione uti; pollicitus nempe erat Christianus tertius, fore, ut quivis nobilium dominium directum impetraret in possessiones & fundos ecclesiasticis pia majorum devotione donatos, qua venia plures, proprio magis quam publico com-

176) Baden om Oldtidens Agt for Thingene p. 41. — "Hvad Præbender og Vicaridom, som var bevilget Kirckerne og Hospitaled, og Adelen kunde bevise, der vaar kommen fra deris Salige Forfædre, dennem annammede de igjen, og skiffte dennem iblant deres Arfvinger, som andet deris rette Eye- og Arfve Goedtz. Og efterdi Adelen vaar icke at tvinge fra hvad Goedtz, som vaar kommet fra deris hendøde forfædre." Vid. Krag Krist. 3 Hist. (Vers. dan) p. 224.

Digitized by Google

commodo, utebantur 177). Teſtis eſt Cragius 178), affirmans, plurima prædia eccleſiaſtica a fiſco eſſe alienata. "Alia nempe," inquit, "donatione in bene meritos collata ſunt, quædam venditione aut permutatione distracta, nonnulla nobilibus fruenda data & locata ſunt, rationibus obnoxia aut certa penſione fiſco quotannis inferenda;" quorum prædiorum pleraque poſtea in poſſeſſionem nobilium ceſſerunt. Nobiles quoque decumarum ſolvendarum immunitatem impetrarunt, ſic ut decumas a ruſticis ſuis exigerent 179); jura patronatus etiam, quæ clericis hactenus fuerant, ad nobiles ſenſim migrarunt 180). Plurimos præterea nobilum bona et prædia clericorum

177) "Die nordischen Stifter mussten diejenigen entbehren, welche die vornehmste Stärke der deutschen Bisthümer ausmachten, jenen reichen Adel, dem auf die Erhaltung des Stifts selbst eben so viel ankam, als denen Prälaten und Stiftsherrn, da ihre jüngere Söhne und Brüder darinn einen reichlichen Unterhalt fanden. Wir glauben nicht zu irren, wenn wir in diesem Unterschiede eine der wesentlichsten Ursachen finden, warum es den Königen der nordischen Reiche so leicht würde die Macht der Bischöfe über den Haufen zu werfen." Remers Abriß p. 277.

178) Ann. p. 156.

179) Münter Refh. 2, 218.313.

180) Hvidtf. 1399. Münter Rfh. 2, p. 339.

Digitized by Google

Tibi comparasse, notum est; exempla quædam collegit Münterus 181). Inprimis autem Magnus Giöe rem suam augebat, monachos, Franciscanos præsertim, maxima vi consectando 182).

Civibus oppidanis ea inprimis bona spe arridebat reformatio, fore, ut per eam a dominio ecclesiastico, (quod quam grave et interabile fuerit, jam annotavimus,) in posterum liberarentur. Huc quoque accedebat spes participandi bona clericorum et Gildarum, quarum maximæ erant divitiæ, quarumque in plerisque urbibus tantus erat numerus, ut eum jam Christophorus Bavarus Randrusiæ minuere vellet 183), quem in finem novas Gildas sine Consulum et civium consensu condi vetuit. Reperimus quoque, Christophorum Comitem Malmogiæ incolis, a. 1534, omnes fundos et possessiones circumcirca intra milliarii spatium urbi adjacentes done dare pollicitum esse, idemque Georgius Wullenweber Havniæ incolis promiserat 184). Municipia re vera etiam, si-

181) Rfh. 2, p. 319.

182) Münter Rfh. 2, p. 47. 90. 187. Pont. Ann. et D. Atlas passim.

183) Stadfeldt R. B. p. 27.

184) Krag (Vers. dn.) p. 52, cfr. 18; "At de Kiøbenhafn schulde blifve udlagd til een œvig Eyendom all det Landgoeds med sin Kongelige Herlighed som laa paa Een Mileveys neſt om ved Byen."

Digitized by Google

cuti nonnulli quoque privati, et quidem e nobili genere non orti, partim fundos, partim monasteria in ædes, scholas et xenodochia mutanda obtinuerunt; cuius rei exempla quædam collegit Münterus l. c. 2. p. 91, 199, 319 &c.

Rerum vero conditio tulit, ut non magis municipiis quam *magistratibus* opportuna esset reformatio, quippe quibus fundos et prædia administrandi partes demandatæ sunt. Quæ quidem alia occasione uberius tractare et quæ huc pertinent colligere statui.

Omnibus denique *plebejis* multifariam ex hac rerum mutatione utilitatem percipere contigit. Qui antea ad altiorem in ecclesia dignitatis gradum adscendere nequiverunt, cum amplissima quæque ecclesiastica munera solis nobilibus deferrentur, iis jam spes facta est episcopatus quoque obtinendi, si modo artes diligenter et fideliter exercuissent. Libertas illa Christiana, quam sæpius laudibus tulere reformatores, plebejis sub jugo hierarchiæ et *aristocratiæ* hactenus gementibus, haud parum, sine dubio, arrisit. Inprimis autem jus sacerdotes eligendi, parochiis concessum, ipsis non potuit non gratum esse 185). Plebem

185) Münter Refh. 2, p. 55. Hofman om Tiende og Ret at kalde Præster, Kh. 4.

Digitized by Google

quoque vexaverant monachi mendice circumcursitantes, quam molestiam amotam ardenter desiderabant. His igitur quoque de causis reformatio prospero haud caruit successu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google